



Disquisitio historico-literaria de L. Munatio Planco

<https://hdl.handle.net/1874/312626>

DISQUISITIO HISTORICO-LITERARIA

DE

L. MUNATIO PLANCO.

DISQUISITIO HISTORICO-LITERARIA

DE

L. MUNATIO PLANCO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

JURIS ROMANI ET HODIERNI DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHIL. THEOR. ET LITER.
HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS
HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ABRAHAMUS GUILIELMUS DE KLERCK

Rheno-Traectinus.

A. D. VII M. MAII ANNI MDCCCLV, HORA II.



TRAECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLV.

VIRIS AMPLISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS,

HENRICO JACOBO KOENEN,

JUR. UTR. DOCTORI, ORDINIS LEONIS NEERL. EQUITI, AD ORDINES PROVINCIALES
DELEGATO, CIV. SENATORI, ATHENAEI ILLUSTRIS CURATORUM PRAESIDI,
ACADEMIAE REGIAE SOCIO,

PETRO JACOBO TEDING VAN BERKHOUT,

JUR. UTR. DOCTORI, TRIBUNALIS JUDICI, AD ORDINES PROVINCIALES DELEGATO,
ATHENAEI ILLUSTRIS CURATORI,

JOHANNI BOSSCHA,

PHIL. THEOB. MAG. LIT. HUM. DOCTORI ET PROFESSORI ORDINARIO, ORDINIS
CORONAE QUERCEAE DECURIONI STELLATO, ORDINIS LEONIS NEERL.
EQUITI, ORDINUM GENERALIUM COETUI INFERIORI
ADSCRIPTO, ACADEMIAE REGIAE SOCIO,

JACOBO VAN LENNEP,

JUR. UTR. DOCTORI, ORDINIS CORONAE QUERCEAE DECURIONI, ORDINIS
LEONIS NEERL. EQUITI, FISCO ADVOCATO, ORDINUM GENERALIUM
COETUI INFERIORI ADSCRIPTO, ACADEMIAE
REGIAE SOCIO,

AUGUSTO GUILIELMO FREDERICO
HERCKENRATH,

MEDICINAE DOCTORI,

GERARDO SCHIMMELPENNINCK,

JUR. UTR. DOCTORI, ORDINIS CORONAE QUERCEAE DECURIONI, SENATORI,
TRIBUNALIS PROVINCIALIS CONSILIARIO,

GYMNASII AMSTELODAMENSIS CURATORIBUS,

has studiorum primitias

D. D. D.

Auctor.

PRAEFATIO.

Quum superiore anno in Academia Lugduno-Batava ab Ordine Literario ad certamen proposita esset quaestio de L. et T. Munatiis Plancis, argumentum mihi arrisit et idoneum visum est, in quo virium mearum facerem periculum. Sed vix ad opus me accinxeram, quum in Gymnasio Rheno-Traiectino vacuefactus est Praeceptoris locus, et mihi a Curatoribus mandatum, ut per semestris temporis spatium vicaria opera huic muneri subvenirem. Quod equidem quamquam Academicis meis studiis aliquid morae allaturum esse intelligebam, tamen non potui non lubenter accipere, quum fructuosissimum id mihi fore viderem ad docendi methodum tam usu quam ratione addiscendam. Interim non nisi subsecivae quaedam horae mihi ad domestica literarum studia relictas et susceptum scribendi consilium totum paene abruptum est. Peracto vero semestri, intermissum opus alacri rursus animo

suscepi. *Ecce autem, mox evenit aliquid mihi optatissimum, sed descriptioni absolvendae parum opportunum. Roganti mihi commissum est in Gymnasio Amstelodamensi Praeceptoris munus, cui obeundo quo melius totum me dedere possem, tam meis commodis quam Curatorum, Amplissimorum Virorum, voluntati hoc me debere sensi, ut quam primum Doctoris titulo obtinendo Academicis studiis finem imponerem. Quare, mutato priore consilio, eam quam absolveram propositae quaestionis partem dissertationis loco edere constitui, qua defendenda summos in Literis honores consequerer. Iamque hoc quaecumque opusculum edo, sperans fore ut aequi iudices accipiant tamquam laboris et industriae primitias, e quibus, ut opto, maturiores aliquando fructus sperare liceat.*

Quod ad descriptionis argumentum attinet, de L. Munatio Planco adhuc non nisi pauca a viris doctis literis mandata sunt unde subsidium petere possem. Singulares dissertationes, quantum scio, de eo editae non sunt. SCHOEPFLINUS in libro inscripto Alsatia illustrata Per. I, § 54, sqq. aliquot locos, in quibus de Planco sermo est, collegit. D. RUHNKENIUS in annotationibus ad Velleium Paterculum II. 63, item multos scriptorum locos conquisivit. Fusius de illo egerunt BEUCHOT in lexico inscripto Biographie universelle ancienne et moderne, 1811. Tom. XXXV, p. 15 sqq. et E. Q. VISCONTI, Iconographie Romaine, 1818. Tom. I. p. 223-231. Ab horum tamen lectione scriptorum parum vel nihil adiu-

menti retulimus. Rem enim strictim et fere aliud agentes tetigerunt. Multo accuratius argumentum tractarunt G. DRUMANNUS, Geschichte Roms in seinem Uebergange von der republikanischen zur monarchischen Verfassung, 1838. T. IV. p. 207-213, et G. S. TEUFFELIUS in PAULY Real-Encyclopaedie der classischen Alterthumswissenschaft, 1848. T. V. p. 204-208. Verum et hi non paucos antiquorum scriptorum locos et monumenta neglexerunt; quo diligentius id mihi agendum duxi, ut ipsos fontes adirem et accurata testium ac monumentorum perscrutatione plenius quam adhuc factum esset de illo exponerem.

Initio de ceteris quoque Munatiis, nominatim de fratribus nostri, agere mihi proposueram; sed hoc consilium postea deposui, quia illorum notitia tam tenuibus ac raris continetur vestigiis, ut qui eorum vitam illustrare vellet vix operae pretium facturus videretur.

Haec de meo scribendi consilio et ratione dicta sufficiant. Alterum mihi restat praefandi officium, ad quod pietas me impellit, ut grato animo nomina recolam eorum qui per spatium Academicum de me optime meriti sunt.

Primum Te compellem, Clar. VAN GOUDOEVER, virum sempiterna mihi observantia colendum. Per totum studiorum curriculum magistrum, fautorem, amicum talem te habui, ut ad debitas gratias referendas imparem me profitear. Tua in me collata beneficia nunquam non grata mente recordabor.

Haud minore Tibi, Clar. KARSTEN, gratia obstrictum me

sentio. Quem antea susceperam literarum amorem, is tuis auspiciis ita crevit in dies, ut non potuerim non vitae tabernacula in iis collocare, atque talem te mihi praestitisti et ducem adiutoremque studiorum et vero amicum, ut nemo magis.

Nec non Tibi, Clar. OPZOOMER, sincero pectore gratias ago pro luculenta tua, qua frui mihi contigit, institutione, cuius memoria nunquam mihi ex animo excidet.

Vos denique, Commilitones carissimi, quocunque nos fata vocent, praesentes absentes irruptum amoris vinculum coniungat et generosa honestarum artium aemulatio ad optima quaeque ducat.

CONSPECTUS.

	Pag.
CAPUT I. L. Munatius Plancus, Caesarianus	1.
" II. " " " , libertatis fautor	17.
" III. " " " , Antonianus	44.
" IV. " " " , Octaviani Caesaris fautor	59.
" V. " " " , orator et declamator	73.
" VI. De eorum, qui de Planco scripserunt, in primis Velleii auctoritate	78.
" VII. De L. Munatio Planco iudicium	85.

L. MUNATIUS PLANCUS L. F. L. N.

CAPUT I.

L. Munatius Plancus, Caesarianus.

Gentis Munatiae¹⁾ origo tenebris est involuta. Ad antiquissimas eam esse referendam non probabile est, quippe cuius mentio demum fiat saeculo sexto exeunte post urbem conditam. C. Munatius, qui inter decemviros agris Ligustinis et Gallicis dividendis a. u. 581 ab A. Atilio praetore urbano ex senatus consulto creatos a LIVIO XLII. 4 numeratur, primus ex ea gente fuit, cuius nomen posteritati traditum est.

Fuit autem gens plebeia, siquidem tribunus plebis in ea occurrit, nec multis honoribus conspicua; nam duo Munatii tantum consulatu functi sunt.

Postea Munatia gens paullatim in plures familias distinguere coepta est cognominibus Planci, Rufi, Flacci, aliis.

1) Nomina gentilicia Munatia, Minicia et Minucia in manuscriptis saepius confunduntur. Cf. RUHNKENIUS *ad Vell. Pat.* II. 67. OUDENDORPIUS *ad CAESARIS comment. de bello Gall.* V. 24.

De omnibus vero Munatiis disputare nostri propositi ratio non fert, ideoque statim a Plancis initium faciemus.

Planci ¹⁾ nomen derivatur a pedibus planis, testibus PLINIO (*Hist. Nat.* XI. 45, 105): „Vola homini tantum, exceptis quibusdam. Namque et hinc cognomina inventa Planci, Plauti, Pansae, Scauri” et FESTO (*p.* 230 *ed. Mülleri*): „Plancae dicebantur tabulae planae, ob quam causam et Planci appellantur, qui supra modum pedibus plani sunt.” Etymologiam in dubium vocarunt VOSSIUS *Elym. magn.* in voce „planca,” DRUMANNUS (*Gesch. Roms* IV. p. 205), alii. Plancas a plano derivari dubitationi obnoxium esse nemo infitias eat, nihil vero impedit, quominus Plancus a „planca” repetatur. Quod VOSSIUS proposuit Plancum ex *πλατύπους* contractum esse merito patronos non invenit.

Quo anno Plancus ille, de quo nobis agendum est, natus sit nusquam memoratum est; tamen ex Ciceronis familiaritate cum patre eius et cum ipso probabiliter coniiicere licet, eum lucem adspexisse intra annos 675 et 680 post urbem conditam. E consulatu ab eo gesto illud effici non potest, quum legem annalem saepius illis tem-

1) In manuscriptis Plancus confunditur cum Plancio, (cf. *Variae lectt. Graev. ad Cicer. Phil.* VI. 4.) et Flacco (cf. *Variae lectt. ad Hirtii bell. Alex.* c. 52, ubi unus codex et *ed. Ald.* habent „Munatius Plancus,” reliqui „Munatius Flaccus.” Quam lectionem cum BURMANNO *Epist.* p. 788 restituendam puto). Hac permutatione recentiores viri docti non semel in errorem inducti sunt. Nominasse sufficiat BROTTIERUM, qui ad PLIN. *Hist. Nat.* XI, 105. Plancum Rubelliae gentis cognomen fuisse scribit, Plancum cum Blando confundens. Denique saepius fratres permutantur, cuius erroris argumentum est in *Epist. ad Att.* XVI, 16, quae in omnibus codicibus L. Planco inscribitur, licet de *Cn. Planco* sermonem esse manifestum sit.

poribus non observatam esse constet (Cf. CIC. *Ep. ad Fam.* X. 3, 2).

De maioribus eius nihil fere ad nostram notitiam per- venit. Avus eius non nisi nomine cognitus est ex in- scriptione, quae exstat apud GRUTERUM pag. 439 c. 8. apud ORELLIUM c. 390 et in *Fastis triumph.* ad a. u. 711 ubi legimus:

„L. MUNATIUS PLANCUS L. F. L. N. L. PRON.”

Ceterum ne hoc quidem notum est, utrum avus *Planci* cognomen iam habuerit necne.

Pater eius Cicerone familiariter usus est. Hic enim lib. X. *Ep. ad Fam.* 3, 2: „Ego ‚inquit‘ necessitudi- nem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto quam tu natus es.” Necessitudo „illa summa” Ciceroni „fuit iucundissima”. (*ad Fam.* XIII. 29. Cf. *ad Att.* XVI, 16, 3. *A. B. ad Fam.* X, 4, 1. 5, 1.)

NIEBUHRIUS (*Vorträge über Röm. Gesch. ed. Isler* III. p. 106.) eum Tiburtinum fuisse scribit. Cuius opinionis ansam dedisse videtur locus Horatianus:

„seu tedensa tenebit Tiburis umbra tui.”

Plures tamen Romae incolae Tibure villas habebant, quamquam non appellarentur Tiburtini 1).

Habuit fratres tres, T. Munatium Plancum Bursam, Cn. Munatium Plancum et C. Munnatium Plancum, qui a L. Plautio 2) adoptatus est, sororem Munatiam, M.

1) OBBARIUS ad *Horatii Odarum l. I. c. 7*, hanc exhibet inscriptio- nem: „L. Munatius Plancus Tib. Cos.” rel. quam ex SICKLERI Geogr. I. p. 379 in librum suum se transtulisse scribit. Inscriptionem vero illam loco ab Obbario laudato frustra quaesiveris.

2) Plautius scribendum videtur. Sic enim legitur in nummis fide dignis.

Titio coniugio iunctam; ex uxore, cuius nomen ignoramus, suscepit filium L. Munatium Plancum et filiam Munatiam Plancinam, quae nupsit Cn. Pisoni.

Patrem ipsum literarum studiis operam navasse ex Ciceronis cum eo familiaritate conicere licet, eundemque filium omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri solebat, erudiendum curavisse probabile est. Favebant institutioni praeclarae ingenii dotes, unde tales fecit in literis progressus, ut oratoris nomine a reliquis Plancis distingueretur, et elegantia, gravitate, suavitate omnibus fere palmam praeriperet. Familiaris sui filium iam a teneris dilexit carumque habuit Cicero, qui ipse saepius „amorem erga Plancum ab ineunte pueritia, confirmata iam aetate familiaritatem quum studio suo tum Planci iudicio constitutam” se habuisse profitetur. (*Ad Fam.* X. 3.)

Praeterea alios etiam viros in republica claros Plancus amicitia sibi devinxit, Julium Caesarem, Asinium Polionem, posterioribus vitae temporibus Horatium, Antonium, Augustum. Quorum consuetudo non potuit non favere eius studiis provehendis.

Quod nobis maxime dolendum est, de Planco adolescente non nisi pauca ab antiquis notata sunt. Magistratibus minoribus gestis ad Caesarem se contulit, qui eum sibi legasse videtur.

Legati creari solebant a senatu; saepius tamen ipsi duces deferebant legationem iis, quorum prudentiam in re militari et benevolentiam erga se cognoverant,

Cf. VAILLANT. *Plaut.* N^o. 5. (ubi fratres permutantur) ECKH. V. p. 276.

Cf. *Ovidii Fast.* VI. 685. Historici vero plerumque habent „Plotium.”

Cf. WESSELING. *Observ.* II. 21. p. 235.

senatu tacite probante. Caesar procul dubio ipse quos vellet sibi legavit; praesertim quum aliis, qui in minore potentia erant, illud permissum fuerit. Sic Cicero, se (a. u. 703), proconsulem in Cilicia, M. Anneio legationem ultro detulisse, quum multis petentibus denegasset, literis ac memoriae prodidit. (Cf. CICERO *ad Fam.* XIII. 55. *ad Att.* XV. 11 *de prov. cons.* 17. LIVIUS IV. 17. XLIV. 18. NEPOS *Att.* 6. GARATONI *ad Cic. Verr.* I. 23).

Hoc autem munere, quod semper summo in honore fuit, adeo ut viri summae in republica auctoritatis, e. g. Scipio Africanus, alii eo ornati essent, Caesare duce per longam annorum seriem ita functus est Plancus, ut fautore dignum se praestiterit, cui fidus permansit donec hic maturius quam fato suo exstingueretur.

Sed de iis, quae legatus gessit, paulo fusius agere non alienum erit¹⁾.

Anno u. 700 Caesar iterum e Britannia reversus, quum eo anno in Gallia propter siccitates frumentum angustius provenisset, coactus est, secus ac superioribus annis, exercitum in hibernis collocare legionesque in plures civitates distribuere. Legiones tres in Belgis²⁾ collocavit, quibus praefecit M. Crassum quaestorem et L. Munatium Plancum et C. Trebonium legatos (*Bell.*

1) Cf. DRUMANNUS, *Gesch. Roms. Tom. IV. p. 207—213.* TEUFFELIUS in *Pauly Real-Encyclop. Tom. V. part. I. p. 208 et 209*

2) Sic ex codicum tantum non omnium auctoritate scribendum esse censeo. Intelligitur hoc loco tota Gallia Belgica, per quam legiones III distributae fuerunt. Perperam OUBENDORPIUS „in Belgio“ legendum esse statuit, auctoritate sua Belgium partem Galliae Belgicae fuisse contendens.

Gall. V. 24). Aliis legionibus in alias regiones missis facillime inopiae frumenti se mederi posse existimavit.

Mox vero Plancus a Caesare ex hibernis evocatus est. Erat enim in Carnutibus vir summo loco natus Tasgetius, cuius maiores in sua civitate regnum obtinuerant. Hunc Caesar triennio ante in maiorum locum restituerat; nunc vero Tasgetius popularium suorum conspiratione interfectus est. Re ad Caesarem delata, hic veritus ne civitas impulsu eorum, qui caedem perpetraverant, a Romanis deficeret, L. Plancum cum legione celeriter in Carnutes proficisci iubet, ibi hiemare, quorumque opera Tasgetium interfectum comperisset, hos comprehensos ad se mittere. Num vero legatus percussores comprehenderit, nullo historicorum indicio constat; nec an vere exeunte e Belgis ad Caesarem profectus sit asseverare ausim. Id sane sine periculo fieri non potuit, quum Carnutes identidem coniurarent motusque molirentur. (Cf. *Bell. Gall.* V. 53, 56. VI. 2. VII. 2, 75). Plancum aut gloriae consequendae occasionem non nactum esse aut oblatae occasione defuisse, ex Caesaris silentio conficere cogimur.

In Ciceronis *Epist. ad Fam.* VIII. 1. 4. ante Kal. Jun. a. 703, ut videtur, a M. Caelio Rufo data, de L. Munatio Planco sermonem esse plures contenderunt viri eruditi, in his ORELLIUS. Alii vero T. Munatium Plancum Bursam intelligendum esse statuerunt, nullis vero id muniverunt argumentis, in his fuerunt DRUMANNUS T. IV. p. 215 et W. S. TEUFFELIUS, *Real-Encycl.* T. V. p. I. p. 208. Quamobrem quid ea de re iudicandum sit indagare operae pretium duco.

Verba Rufi haec sunt: „Plancus (quidem) tuus Ra-

vennae est, et magno congiario donatus a Caesare, nec beatus nec bene instructus est.”

Notum est Caesarem Ravennam in Galliam Cispadanam quotannis ad conventus agendos venire solitum fuisse (*de bello Gall.* VI. 44. CICERO *ad Att.* VII. 1, 4. *pro Balbo* 22, 50. *ad Fam.* I. 9, 9.). Eo igitur aut L. Plancus Caesarem comitatus est aut T. Munatius Plancus, cui lege Pompeia aqua et igni interdictum videtur ¹⁾, ad imperatorem confugit. APPIANUS enim (*de bell. civ. l. II.* c. 25) auctor est exsules ad Caesarem concurrisse eumque monuisse, caveret a lege Pompeia, quae ipsum maxime spectaret.

Cicero Caelium rogaverat ut res memoratu digniores sibi perscriberet. Illud sane Ciceroni magnopere cordi esse non potuit, scire quo loco degeret L. Plancus; eaque quae adduntur ad nostrum spectare non possunt. T. vero Munatium Plancum Cicero accusaverat nihilo deterius quam Milonem defenderat; T. Munatium Cicero „oderat multo peius quam ipsum Clodium,” eoque condemnato se magis quam morte inimici laetatum scribit. (*Epist. ad Fam.* VII. 2. 2.) T. Munatii igitur vitae fata audire

1) Lege Plautia et Lutatia ea poena in aliquot annos constituebatur. (CICERO *pro Sulla* 31. *pro Sest.* 69. Cf. HALM *ad Cicer. pro Sulla*, p. 158 sqq.) Illud statuerunt MANUTIUS, SIGONIUS, HEINECC. MADAIUS, alii. WÄCHTERUS vero XIII. p. 24 sqq. aliter statuit. Auctor est ASCONIUS *arg. pro Mil.* p. 37. Orell. „lege Pompeia poenam gravio-rem esse constitutam” (exsilium fortasse in perpetuum). Ea vero de re ambigitur. Poenae enim mentio nusquam exstat, nec magis ex damnatorum fati poena confici potest. Cf. CICERO *ad Fam.* VIII. 1, 4. ASCON *in Mil.* p. 54, 55 ed. Orell. CHAIS v BUREN *de Cn. Pompeio* p. 107 sqq. WÄCHTERUS p. 26 sqq. MADAIUS p. 39 sqq. DRUMANNUS *Gesch. Roms.* II. 351 sqq.

non potuit non esse Ciceroni pergratum. Verbum „tuus” ironice capiendum esse facile concedet, qui sensum perspexerit sequentium, quibus T. Munatii Planci mores egregie notantur: „magno congiario rel.” Vir ille perditus, qui semper turbas agere tumultusque iniicere civitati studuerat, nunquam sua sorte contentus, licet benigne, fortasse fratris in gratiam a Caesare esset exceptus, quin etiam donativum ab eo accepisset, beatus esse non potuit. Quibus de causis T. Munatium Plancum Bursam l. l. perstringi nullus dubito.

Plancum e Gallia revocavit bellum civile, quod Pompeii invidia motum exarsit, reipublicae letale vulnus inflicturum. Caesar cum magnis copiis Rubiconem transiit, adversarium persequitur, eumque ex Italia fugere cogit. Quo facto constituit cum exercitu in Galliam Ulteriorem proficisci, Massilienses, qui a Caesare defece- rant, terra marique obsessurus (*Bell. civ. I. 36*).

Fabium legatum cum tribus legionibus in Hispaniam praemittit (*Bell. civ. I. 37*) celeriterque Pyrenaeos saltus occupare iubet, qui eo tempore a L. Afranio, legato Pompeiano, praesidiis tenebantur. Reliquas legiones subsequi iubet. L. Munatius Plancus legionem Fabianis copiis adiungit. Mox vero relictis ad Massiliam C. Trebonio et D. Bruto, Caesar ipse subsequitur (*bell. civ. I. 39*. DRUMANNUS, *Gesch. Roms*, T. III. p. 458). Fabius, ut erat imperatum, praesidio ex saltu deiecto, magnis itineribus ad exercitum Afranii contendit et haud procul ab Ilerda castra posuit. In Sicori flumine pontes fecit duos, per quos milites pabulatum mitteret. Omnia enim, quae citra flumen fuerant, superioribus diebus consumpta erant. Idem fere eademque de causa

duces Pompeiani faciebant, inde crebris inter se equestribus proeliis contendebant. Aliquando quum duae legiones Fabianae flumen transiissent impedimentaue et omnis equitatus sequeretur, subito vi ¹⁾ ventorum et aquae magnitudine pons interruptus est et reliqua multitudo equitum interclusa. Quo cognito Afranius legiones IV equitatumque transiecit, duas Fabianas legiones aggressurus. Eius adventu nuntiato, L. Plancus qui legionibus praererat locum capit superiorem, divisamque in duas partes aciem ita instruxit, ut ab equitatu circumveniri non posset. Ita, congressus impari numero magnos impetus legionum equitatusque sustinet, donec duabus legionibus a C. Fabio ulteriore ponte subsidio missis proelium dirimitur (*Bell. civ. I. 39 sqq.*).

Quum vero ipse Caesar advenisset, Petreius Afraniusque multis proeliis superati sunt, compositaque pactione ab eo dimissi (*CAES. B. civ. I. 37-86. II. 17-21. DIO XLI. 20-23. PLUT. Pomp. c. 65. Caes. c. 36. APPIAN. bell. civ. II. 42, 43. Cf. FISCHERUS, Röm. Zeitt. p. 273.*).

Hispania devicta, Caesar Pompeium persequendum sibi duxit. Quo victo et occiso, reliquias eius factionis extinguere statuit. Itaque in Africam traiecit, contra Scipionem, M. Catonem et Iubam regem dimicaturus (*Bell. Afr. c. 1, 2*). In quo bello commeatus inopia copiarumque, quas ex Sicilia arcessiverat, mora initio fortuna usus est iniquiore. Postquam Adrumetum accessit, ubi praesidium erat adversariorum cui praererat C. Considius, ibi paulisper ante portam commoratus, dum reliquae

1) Codices: „vi iumentorum.“ Quum vero ipse Caesar infra dicat pontem tempestate fuisse interruptum Oudendorpii coniecturam proba.

naves convenirent, exponit exercitum castrisque ante oppidum positus consedit. Oppidani interim muros armatis complent; ante portam frequentes considunt ad se defendendum. (*Bell. Afric. c. 3*).

Interim L. Munatius Plancus petit a Caesare, sibi daret potestatem cum Considio agendi, si posset aliqua ratione ad sanitatem perducere. Itaque pridie Kal. Jan. a. u. 708¹⁾ data facultate, literas conscribit et eas captivo dat perferendas in oppidum ad Considium. Quo simul atque captivus pervenit literasque Planci Considio porrigere coepit, ille priusquam acciperet: „Unde, inquit, istas?” Tum captivus: „Imperatore a Caesare”²⁾. Tunc Considius: „Unus est, inquit, Scipio imperator hoc tempore populi Romani.” Deinde praesente se captivum statim interfici iubet literasque nondum perlectas, sicut erant, signatas dat homini certo ad Scipionem perferendas (*B. Afr. 4, 5*). Quum igitur, una nocte dieque ad oppidum consumpta, neque responsum ullum Planco daretur, neque reliquae copiae succurrerent, ne ab equitatu suppetias oppidanis laturo circumveniretur, castra movit Caesar (*B. Afr. 5, 6*).

Haec sane Planco haud prospere successerant. Quum

1) Cf. HIRTII *de bello Afr. c. 4, 5, 6*. Mensis Dec. XXIX dies complectebatur donec Caesar (a. u. 708) annum civilem ad solis cursum redegit et duos dies mensi Dec. adiecit. Neglexit illud DRUMANNUS *Gesch. Roms. T. III. p. 403*, ubi de Curione a. d. IV. Kal. Jan. (APPIANUS *bell. civ. II. 32*) Romam misso locutus, illud die XXIX m. Decembr. locum habuisse scribit.

2) Vocem „venio” quae vim dictionis magnopere imminuit cum Scaligero delevi. Ex Considii responso „imperatorem” inserendum esse iure confecit Davisius. Cuius coniecturam admodum probabilem primus in textum recepit Clarkius, quem plerique secuti sunt.

vero hac re quo animo in Caesarem esset ostendisset, arctum amicitiae vinculum Caesarem inter et legatum non potuit non intercedere. Duci semper coniunctus et familiaritate et consuetudine erat legatus, ut Caesar ipse docet (*de bello civ.* II. 17. Cf. *de bello Gall.* VIII. 50.); quanta vero gratia apud Caesarem polleret Plancus, argumento sit epistola Ciceronis *ad Fam.* I. XIII. 29. hoc anno data, qua Cicero „pro studiis et omni cursu totius vitae utriusque simillimo rogat et petit a Planco, efficiat ut sua commendatione, suo studio hereditatem propinqui sui T. Antistii ¹⁾ C. Capito obtineat.” Cicero Capitone familiariter utebatur: quare „omnia, inquit, quae potui in *hac summa tua gratia, ac potentia* a te impetrare si petiissem, ultro ad me detulisse putabo, si hanc rem impetrabo.” Notatu dignum est, Ciceronem in fine epistolae aliorum tantum consilio ductum Caesari se restitisse fateri, licet postea haec tempora respiciens (*Ep. ad Fam.* X. 3, 3.) Planco obiiciat: „scis, fuisse quondam tempus, cum homines existimarent te nimis servire temporibus,” seque in iis qui sic existimarent fuisse non neget. Utrum illud Planco, qui, ut ipse gloriatur, Caesaris familiaritate et insigni amicitia gaudebat, multumque gratia valebat, (*ad Fam.* X. 24, 5.) e voto cesserit necne non liquet. Literas illas procul dubio in Africa accepit Plancus, vario Marte sub Caesare bellum gerens. Oppida capta, velitatum saepius, naves interceptae; tandem iusto proelio res Scipionis profligatae, ducum Pompeianorum ac plurium illustrium virorum caedes insecutae belli finem fecerunt. Classem conscen-

1) Cf. de T. Antistio DRUMANNUS *Gesch. Roms.* I. 56.

dit Caesar et ad urbem Romam venit a. d. VII. Kal. Sext. a. u. 708. (*de bello Afric.* 7—98). Postquam vero Pompeianas vires augeri in Hispania suosque ad bellum cum iis gerendum impares animadvertit, magnis itineribus cum exercitu in Hispaniam proficisci statuit contra Pompeii filios, et reliquos partium duces, Labienum et Varum, qui ex Africa eo profugerant et Baeticam omnem ad defectionem sollicitarant, pulso et eiecto C. Trebonio procos., expeditionemque suscepit, urbis custodia Lepido magistro equitum octoque, ut nonnullis videtur, vel, quod fide dignius iudicat DIO (XLIII. 28.), sex urbis praefectis demandata (a. u. 709). Horum in numero Plancus fuit, qua occasione quae illorum munera fuerint indagare non alienum erit, praesertim quum hi praefecti sub Caesare a prioribus et posterioribus plane fuerint diversi.

Scribit SÜETONIUS non nisi tribunos et aediles plebis hoc anno creatos fuisse, in vita *Jul. Caes. c.* 76. ubi legimus: „praefectos pro praetoribus constituit (Caesar), qui praesente se res urbanas administrarent.” Vel SÜETONII vel librariorum error corrigendus est e DIONIS (XLIII. 28) testimonio, qui eos per absentiam Caesaris tantum magistratu functos esse scribit. Ex alio DIONIS loco (XLIII. 47) statim post Caesaris reditum, mense Octobri, praetores creatos esse constat.

Praefecti urbis munera ita inter se partiti sunt, ut duo aerarii procurationem haberent. Alter horum Caesaris sumtibus mense Quinctili ludos Apollinares fecit, quod vulgo praetoris urbani erat (LIVIVS XXV, 12; XXVII, 11, 23; XXXIX, 39.). Praeterea unus eorum feriis Latinis constitutus postridie suum in locum subrogavit alium, isque rursus alium. Omnes hi praefecti ac-

cusati sunt, quod lictoribus vesteque ac sella curuli, ut insignibus summi magistratus, haud aliter atque magister equitum usi essent. Lege tamen se defenderunt, qua usus horum insignium iis permittebatur, quibus magistratus a dictatore est commissus, eaque de causa absoluti sunt.

Nomina praefectorum, exceptis L. Munatii Planci et C. Clovii, nobis non innotuerunt. Nam litteris *pr.* in Hirtii aliorumque nummis *praetor* significatur, ut docet DRUMANNUS, *Gesch. Roms. Th.* III. p. 69, *anim.* 10. 1).

Plancum in iis fuisse patet tum e Cicerone tum e veteribus nummis. Locus Ciceronis invenitur in *Phil.* II. 31, 78. ubi orator, de nocturno et ridiculo M. Antonii tabellarii habitu in urbem reditu, ut amorem uxoris erga se experiretur, locutus, „et domi quidem, inquit, causam amoris habuit, foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes suos venderet (ob debita aerario non persoluta).” In duobus denariis Plancus praefectus urbis occurrit. Alteri incusum: *C. Caes(ar) Dic(tator) Ter(tium)*, caput victoriae alatum pectore tenus; in postica: *L. Plane(us) Praef(ectus) Urb(is)*, urceus.

Caesar mense Octobri a. u. 708 quartam dictaturam inierat ²⁾ (cf. DIO XLIII. 49. APP. *B. civ.* II. 107) tertiam, quae illi in annum erat decreta. Quum vero praefecti urbis post illud tempus creati sint, si fides habenda huic nummo, Caesarem primam dictaturam, utpote paucorum dierum, neglexisse probabile est. (Cf.

1) Perperam FIGIUS in *Ann. a. u.* 708 Plancum in tribunis plebis enumerat. Idem scripsit VAILLANTIUS, Pighium, ut solet, secutus.

2) Accurate hac de re egit FISCHERUS *Rom. Zeitt.* p. 279, 282, 289, 299, 307.

VAILLANT. *Nummi fam. Rom. T. II. in gente Munatia* N^o. 1. RASCHE. *lexicon rei num.* III. p. 951 sqq. RIC-
CIO. *le Monete* p. 151, *tab. XXXIII.* MORELL. *thes.*
Caes. tab. III. n^o. 23, tab. VII, n^o. 9, 10.) De al-
tero nummo post Caesarem interfectum cuso infra agendi
locus erit.

Ut supra iam verbo diximus, Caesar mense Octobri,
recepta Hispania belloque civili prorsus confecto, Romam
ad triumphum decessit, cuius apparatus fuit splendidis-
simus. Triumphus ille verbo quidem de Hispania, re
autem de Pompeianis agebatur, ob principis viri stirpem
cum publica clade deletam. Hinc honores immensi et
insolentissimi in dictatorem certatim congesti, sed, ut
dicit FLORUS (IV, 2, 91), velut infulae in destinatam morti
victimam. Ex potestate sibi a populo data Caesar M.
Lepidum magistrum equitum sibi dixit Antoniumque
collegam in consulatu, annoque urbis 710 ineunte com-
muni populi Romani consensu bellum contra Parthos
parare coepit (DIO XLIII. 51). Quumque diutius abfu-
turum opinio esset, prout tanto bello necessarium vide-
batur, decretum fuit, uti consules et tribuni plebis in
biennium designarentur, ut apud Ciceronem *Ep. ad Att.*
XIV. 6. legimus, idem refert DIO *l. l.* Quorum auctoritas
praeferenda est APPIANI testimonio (*de bell. civ.* II, 128),
in quinquennium magistratus ordinatos esse. E locis
CICERONIS *Ep. ad Fam.* XV. 6. et SÜETONII *Caesar.*
c. 76. ut nimis vagis argumentum peti nequit. In annum
u. 711 designabantur consules C. Pansa et Hirtius; in
a. u. 712 L. Munatius Plancus noster cum Dec. Bruto,
qui ea de causa a Cicerone non uno loco consules de-
signati vocantur (*Ep. ad Fam.* X, 6, 10, 20, 22. 25.

XI, 15, 25. XII, 10). Ipse Plancus consulem designatum se vocat *Ep. ad Fam.* X. 8. (Cf. CICERONIS, *Phil.* XIII. 7). Praeterea Caesar, ut bello civili bene meritis praemia retribuere, magistratum collegia auxit. Praetores sedecim creavit (Dio XLIII, 51.), in quibus L. Munatius Plancus fuit, quem praefecit Galliae Transalpiniae exceptis Gallia Belgica, in quam Hirtius, et Narbonensi, quae cum Hispania Citeriore magistro equitum M. Lepido evenit (CICERO *Phil.* III. 15, 38, *ad Fam.* X, 1—26. Cf. VELL. II. 63. DIO XLVI. 53. DRUMANNUS *Gesch. Roms.* III. 686).

Plancum propraetorem non, ut statuerunt ECKHELIUS V, 257 ceteri qui accuratius ea de re egerunt, proconsulem provinciam accepisse contendo. Argumento mihi esse non potest, quod eo tempore nondum consulatu functus fuisset: saepius enim imperium proconsulare propraetoribus datum est, veluti C. Considio (CICERO *in Vat.* 5.) Gellio (*de legg.* I. 20.) L. Aemilio Paulo (LIV. XXXVII, 46. PLUT. *Aem. Paul.* 4.) aliis bene multis. Verum a. u. 708 Caesar, quum ipse per plures annos continuos Galliae praefuisset, nec ignoraret se diuturna illa imperii consuetudine ad dominandi cupiditatem magis accensum fuisse, lege Julia constituerat, ut qui praeturam gessissent, per annum, qui consulatum, per biennium provinciis in posterum praecessent.

Plancus biennium fere exercitui praefuit ideoque ex illa lege, eum proconsulem provinciam accepisse efficitur, nisi obstaret locus Ciceronis in oratione *Phil.* III. 15, 38, qui litem dirimit. Orator eo loco optimum esse censet, „a D. Bruto et a L. Planco itemque a ceteris qui provincias obtinerent, provincias retineri, quoad ex

senatus consulto cuique eorum successum esset;” senatumque frequentem id sibi assensum esse a. d. XIII Kal. Jan. a. u. 710 ipse gloriatur (*Ep. ad Fam.* XI. 6. XII. 22, 25). Quum vero eo tempore Plancus nondum IX menses exercitui praeesset ideoque de successore sermo esse non posset, si Plancus in biennium i. e. cum proconsulari imperio provinciam accepisset, eum postea demum imperium proconsulare accepisse probabile puto. (Cf. *Fasti triumphales ad a. u. 711* in FISCHERI *Röm. Zeitt.* p. 329).

Haec sunt quae de rebus L. Munatii Planci ante mortem Caesaris memoriae sunt prodita, angustiora sane pro tot annorum spatio: praeter Caesaris enim, Hirtii et paucos Ciceronis locos, hic illic dispersos nihil exstat unde Planci gesta usque ad haec tempora cognoscantur. Ubiorem vero dicendi materiem nobis suppeditabunt ipsius Planci et M. Tullii Ciceronis epistolae, quae ad Planci mores interius cognoscendos quantivis sunt momenti.

CAPUT II.

L. Munatius Plancus, libertatis fautor.

Caesar ob immodicos honores susceptos vix tolerabilis, cum insuper regnum affectare videretur, facta nobilium conspiratione, Idibus Martiis a. u. 710 confoditur et suo sanguine infecit curiam, terrarum orbis, quem sanguine impleverat, reginam. Plures ex eius caede gaudium ceperunt; melior vero pars civium facinus ut insigne nefas aversabatur.

Percussores plebem suspectam habentes Capitolium occupant et postero die legatos mittunt de pace servanda. Itaque a. d. XVI Kal. April. in Telluris aedem properant Senatores, Antonii edicto convocati. In senatu exiguus fuit numerus eorum qui facto indignarentur; plerique variis modis iuvare studebant percussores. Quin etiam Plancus aequae ac Cicero praeteritorum memoriam oblivione sempiterna delendam censebant; in eorumque sententiam reliqui transierunt. Plancus non obstitisse videtur quominus impunitate donarentur percussores, ne

in coniuratorum fautorumque libertatis odium incurre-
ret, neve spes consulatus ipsi evanesceret. Ei vero et
reliquis, qui omnia Caesaris acta improbabant, Antonius
suarum rerum sollicitudinem iniecit, omnes, qui aut ma-
gistratus gererent a Caesare sibi demandatos aut ad ge-
rendos magistratus ab eo designati essent, hos deponere
oportere contendens. Neque vero Plancus neque alius
quis a Caesare magistratu ornatus novae electionis aleae
et arbitrio plebis res suas committi cupiebat. Senatus-
consultum factum est: de Caesaris caede quaeri non pla-
cere, acta eius decretaque rata esse, quoniam ita e re-
publica videatur. APPIAN. *Bell. Civ.* II. 135, (qui in eo
errat quod a. d. XVII. Kal. April. Senatum in aede
Telluris habitum esse contendat) Cf. DIO XLIV. 22-34.
PLUT. *Brut.* 19. *Cic.* 42. *Caes.* 67. *Anton.* 14. 21.
ZONAR. X. 12. *Cic. Phil.* I. 1, 7, 13. III. 12. V. 4.
ad Att. XIV. 6, 9, 10, 14. XV. 4. XVI. 14. VELL.
II. 58. LIV. *Epit.* 116.

Biduo post Caesaris testamentum prolatum recitari
iussit populus. Eo Octavius a Caesare filius adoptatus;
auditis vero beneficiis, quae Caesar in se et in percus-
sores contulisset, plebs eo proruit irae, ut curia incensa,
in coniuratorum aedes faceret impetum. APPIAN. *Bell. Civ.*
II. 143-147. Cf. DIO XLIV. 34-51. PLUT. *Caes.* 68.
Cic. 44. *Anton.* 16. *Brut.* 20. *Cic. ad Att.* XIV. 10.
XV. 12. *Phil.* I. 1. VELL. II. 59. SUET. *Caes.* 83-88.
FLOR. IV. 3, 4. EUTROP. VII. 1. OROS. VI. 18. ZO-
NARAS, X. 12. Percussores ex urbe profugerunt; quot-
quot a Caesare provincias acceperant, in eas profecti
sunt. APPIAN. II. 148. PLUT. *Brut.* 21. Cf. DIO XLIV.
51. *Cic. ad Att.* XIV. 5, 6, 7, 13.

Circa idem tempus Plancus in provinciam abiisse videtur, quippe cuius haud multo post in ea rem gerentis mentio fiat.

Antequam vero ad gesta eius transeamus, de denario, quem supra memoravi, paucis absolvendum. Habet ille in antica: „*Divus Julius*,” caput Julii Caesaris laureatum, ante quod astrum; ex aversa parte in area: „*L. Munati. Plancus. Praef. Urb.*” *Divi* titulo et astro seu sidere Julio indicatur denarium post Caesaris mortem cūsum esse. Quaeritur vero, ad quem annum sit referendus. Nam praefecturam urbis post IX menses ideoque iam a. u. 709 deposuerat Plancus. Dio XLIII. 47. Suet. *Caes.* 41, 76. Post Caesaris autem necem illum feriarum Latinarum causa praefectum urbis creatum esse non probabile est. Eae enim habebantur anno ineunte; Caesar vero Idibus Martiis demum interfectus est, et *post* illud tempus nummus cūsus est. Quodsi bis hoc magistratu functus fuisset Plancus, „*iterum*” in nummo non omissum fuisset. Ob has rationes denario huic nullam omnino fidem habendam esse censeo.

VAILLANTIUS suspicabatur (*Numm. fam. Rom.* T. II. p. 152), Plancum postea, triumphantem ut III virorum benevolentiam sibi conciliaret, solo praefecti urbis titulo, quem honorem a dictatore accepisset, contentum fuisse eumque denario inscribendum curavisse. Ea vero sententia parum habet verisimilitudinis. Quippe Plancus, vir ambitiosus et honoris cupidissimus, imperatoris aut proconsulis titulum in nummo omitti haud facile sivisset.

Octavius igitur, ut supra vidimus, a Caesare filius adoptatus Romae adoptionem accepit. Ibi vero statim Antonius palam ei insidias moliri aggressus est, omni modo

id agens, ut magno comparato exercitu, spreto Octaviano Caesare, omnia ad nutum suum regeret. CIC. *ad Att.* XIV. 3, 12. VELL. II. 60. DIO XLIV. 53. Cf. APP. *Bell. Civ.* III. 5. PLUT. *Brut.* 21. *Anton.* 15. CIC. *Phil.* I. 7-10. II. 3. 37 sqq. III. 12. V. 4. *ad Att.* XVI. 10 sqq.) Itaque sparsa fama, Getas incursionibus vastare Macedoniam, timorem iniecit patribus eoque ut legionum Macedonicarum imperator crearetur impetravit; mox vero petiit a senatu, ut permutatis provinciis liceret sibi obtinere Galliam Citeriorem, cui D. Brutus tum praecerat. At senatus eandem illam Galliam arcem belli adversus se esse ratus, rogationem aegerrime tulit; unde omisso senatu, ad plebem conversus Antonius facile provinciam impetravit. APPIAN. *Bell. Civ.* III. 7, 8, 27. Cf. DIO XLV. 9, 20, 22, 25, 34. XLVI. 23 sqq.)

Erant eo tempore Plancus in Gallia Ulteriore, Lepidus et Asinius Pollio in Hispania. Hos duces exercituum senatus ad suas partes pertrahere studebat. Patet illud quod ad Plancum attinet ex epistolis quas Cicero ad eum misit, nec non ex iis quas ab eo accepit. Exstant in CICERONIS *Epist. ad Fam. libro X* Ciceronis epistolae tredecim, Planci undecim hoc tempore datae. Prima epistola (*ad Fam. X. 1*) a Cicerone missa videtur mense Septembri a. u. 710. Queritur in ea Cicero de M. Antonii immanitate, quam tantam esse scribit, ut non modo vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. (Cf. PLUT. *Cic.* 43 CIC. *Phil.* V. 7.) Simul vero amicum ut rempublicam servet incolumem hortatur. „Illud autem, inquit, erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum non servavi solum, sed etiam auxi (Cf. *ad Fam. X. 3; 2. 4, 10*), monere te atque

hortari, ut in rempublicam omni cogitatione curaque incumbas (Cf. *ad Fam.* X. 3, 3. 5, 2. rel.). Quae si ad tuum tempus (consulatum) perducitur, facilis gubernatio est: tuae dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillime et reipublicae, quae mihi carissima est, et amicitiae nostrae, quam sanctissime colendam puto, me intelligo satisfactorum. Furnium nostrum tanti a te fieri, quantum ipsius humanitas et dignitas postulat, nec miror et gaudeo teque hoc existimare volo, quidquid in eum iudicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse.”

C. Furnius, de quo loquitur Cicero, Planci legatus fuit, isque saepius epistolas ad Ciceronem pertulit (*Epist. ad Fam.* X, 3, 1. 4, 1. 6, 1, 2. 10, 1.). Ex hac quoque epistola eum Ciceronem adiisse et cum eo de Planco sermones contulisse colligere licet. Habuit et alios legatos Plancus, eorumque numerus probabiliter ternarius fuit, ut in minoribus exercitiis esse solebat. De iis vero in ipso narrationis cursu dicendi locus erit.

Ad literas modo scriptas Plancus respondit *Epist. ad Fam.* X. 4. In quibus literis declarat, se ideo nondum scripsisse, quia in Graeciam profectum eum audivisset nec multo ante rediisse scivisset, quam ex epistola (*ad Fam.* X, 1.) cognoverat. Ciceronis admonitionem se repressuram, si aliter sentiret, aut si dubitaret, eius hortationem se impulsuram, ut id sequeretur quod ille optimum putaret, in ea epistola pollicetur. „Nunc vero, inquit, quid est, quod me in aliam partem trahere possit? — Quaecunque in me bona sunt, aut fortunae be-

neficio tributa, aut meo labore parta, etsi a te propter amorem carius sunt aestimata, tamen vel inimicissimo iudicio tanta sunt, *ut praeter bonam famam nihil desiderare videantur*. Quare hoc unum tibi persuade, quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate monere potuero, hoc omne reipublicae futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus neque si facultas optabilis mihi quidem tui praesentis esset, unquam a tuis consiliis discreparem; nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis.”

Quibus subiungit: „Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia Citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur,” manifesto significans consulatum eorum, qui, a Caesare sicut ipse, designati erant; qui magistratus magis ei cordi fuisse videtur quam provincia, cui praeerat. Dubitavit sane aliquamdiu Plancus quasnam partes esset secuturus, e verbis tamen eius non dubium erat, quin cum iis facturus esset, quorum auctoritate consulatum obtinere posset.

Epistolas *ad Fam.* X. 1. et X. 4. primas esse, quas Cicero et Plancus sibi miserint, ex itineris mentione in exordio facta luculenter apparet. Falso autem omnes, quantum scio, interpretes libri illius epistolam secundam ante quartam scriptam esse contendunt.

In illa Cicero se excusat, quod in senatum augendi Planci honoris gratia non venerit. Homines quippe cum gladiis ab Antonio collocatos fuisse in curia et inter subsellia dispositos armatos. (CICERO. *Phil.* II. 8.). Quid vero Plancus rogaverit non liquet. Quodsi literas accurate legamus, eas frigidius quam priores esse scriptas in oculos incurrat necesse est. Cicero in omnibus epistolis

amicum ad reipublicae studium advocare solet, in hac vero ne verbum quidem de republica, idque eo tempore quo Plancus nondum rempublicam se servaturum professus erat. Epistola tamen non referri potest ad posteriora tempora, siquidem Antonius in urbe versari eo tempore dicitur. Qua de causa epistolae partem tantum ad nos pervenisse non est quod dubitemus.

Verebatur sane Cicero, ne Plancus ad Antonium deficeret, et memor eius quod est in epistola ultima libri XV *ad Fam.*, plurimum valere si laudes eum quem cohortere, eo artificio continenter utitur.

Sic in *Epist. ad Fam.* X. 3 scribit, Furnium in re militari virtutem eius et in administranda provincia iustitiam et in omni genere prudentiam sibi exposuisse; eundem non ignotam in consuetudine et familiaritate suavitatem sibi adiunxisse, praeterea summam erga se liberalitatem. — „Mirabiliter faveo, inquit, dignitati tuae, quam mihi tecum statuo debere esse communem. Omnia summa consecutus es, virtute duce, comite fortuna, eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio industriaque fregisti. — Scis fuisse quoddam tempus, quum homines existimarent, te nimis servire temporibus; quod ego quoque existimarem, si te ea, quae patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed quum intelligerem quid sentiret, te arbitrabar videre quid posses. (Cf. quae pag. 11 notavimus.) Nunc alia ratio est; omnium rerum tuum iudicium est idque liberum. Consul es designatus, optima aetate, summa eloquentia, maxima orbitate reipublicae virorum talium. — Incumbe, per deos immortales! in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam afferat. Unus autem

est hoc praesertim tempore, per tot annos republica devexata, reipublicae bene gerendae cursus ad gloriam.”

Non mirandum est Ciceronem tantam operam dedisse, ut eum ad suas partes pertraheret. Antonius enim postquam legiones Macedonicae advenerant, habito delectu confectaue ex iis praetoria cohorte, Ariminum petebat, situm in primo Galliae aditu, Dec. Brutum aggressurus. Habebat praeter tirones Macedonicas legiones tres et unam veteranorum. In exercitu Caesaris erant duae legiones, quae ab Antonio defecerant, et praeter illas una tironum duaeque veteranorum. Senatus dolebat quidem legiones ad Caesarem potius quam ad se transiisse; nihilominus ei congratulabatur: non enim dubium erat, quin usuri essent his copiis contra Antonium, qui interea D. Brutum migrare iusserat in Macedoniam, quo et populo pareret et sibimet ipse parceret. Diem ei praefinivit, ad quam ni provincia decessisset, pro hoste haberetur. Mox vero Mutinam Antonius circumvallat Decimumque obsidione cingit. (APP. III. 42—46. DIO. XLV. 12—16, Cf. CIC. *Phil.* III. 8—10, *ad Fam.* XI. 6.) Jam vero mense Februario ipse Antonius, quod Galliam, invito senatu, tamquam arcem contra patriam vi et armis occupasset, hostis iudicatus est et simul exercitus eius, ni confestim eum relinqueret. Hir-tius consul iam paucis diebus ante Roma cum exercitu profectus, cum Caesare se coniunxit Mutinamque pro-peravit. Quae quum arcte obsideretur ab Antonio, cum eo signis collatis dimicare non placuit, prius quam Pan-sa alter consul advenisset. Itaque Plancus laborans ne literae ab hostibus interciperentur, binas dedit ad Ci-ceronem eodem exemplo, quibus quem animum haberet

de re publica declarat; quod Ciceroni et magnam attulit laetitiam et impulit, ut Plancum hortaretur non solum, sed plane oraret, ut tota mente omnique animi impetu in rem publicam incumberet, quum nihil maiori fructui gloriaeque illi esse posset: „Adhuc enim — patitur tua summa humanitas et sapientia, me quod sentiam libere dicere: — fortuna suffragante videris res maximas consecutus; quod quamquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae temporibusque tribuuntur. His temporibus difficillimis reipublicae quidquid subveneris, id erit totum et proprium tuum. Incredibile est omnium civium, latronibus exceptis, odium in Antonium; magna spes in te et in tuo exercitu, magna exspectatio.” (*Epist. ad Fam. X. 5*).

Ciceronem magnam spem in Planco collocasse dubitare non sinunt literae, tam quas a Planco accepit, quam quas ipse ei scripsit. Spes vero illa turpiter frustrata est. Furnium legatum Romam mittit Plancus cum literis, quae in senatu recitatae nequaquam consentiebant cum Furnii oratione de Planci animo in rempublicam. Pacis in iis auctor erat aequae ac Lepidus, qui eo iam senatus partes se relicturum ostenderat, quod summis a patribus ornatus honoribus gratias non ageret. (*ad Fam. X. 27*). Quomodo literae illae acceptae sint, facile intelligemus, si reputemus, Ciceronem Antonium eiusque socios „foedissimos latrones” vocare et benevolentia, ut ipse dicit, impulsus severe ad Plancum haec scribere: „Seiunge te, quaeso, aliquando ab iis, cum quibus te non tuum iudicium, sed temporum vincla coniunxerunt. Complures in perturbatione reipublicae consules dicti: quorum nemo consularis habitus nisi qui animo exstitit in

republicam consulari. Talem igitur te esse oportet qui primum te ab impiorum civium tui dissimillimorum societate seiungas; deinde te senatui bonisque omnibus auctorem, principem, duces praebes; postremo ut pacem esse iudices non in armis positos, sed in abiecto armorum et servitutis metu. Haec si et agēs et senties, tum eris non modo consul et consularis sed magnus etiam consul et consularis; sin aliter, tum in istis amplissimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas." (*ad Fam.* X. 6.). Planci inconstantia, nequaquam illa excusanda, inde sane est repetenda, quod Lepidus cum eo de pace egerat, eumque auctoritate sua impulerat, ut ad senatum ea de re scriberet, sicut ipse iam fecerat. Quod Furnius aliter de Planco locutus esset atque in literis erat, ostendit Furnium melius de Planco sensisse; non vero, ut putat GRÄTERUS (*in continuata versione Epistolarum Ciceronis T. XII. p. 96.*) literas ita fuisse conceptas, ne Lepidus eas intercipiens Plancum odio habere inciperet. Quodsi revera ea de causa ita scripsisset Cicero, non addidisset in literis quibus respondet, Furnii sermones haudquaquam consensisse cum literis. Nam omnis fraus irrita cecidisset, si Lepidus tabellarium retinisset (*Cf. ad Fam.* X. 31). Denique, si res re vera ita se habuisset, quidni in literis, quas postea ad Ciceronem dedit, eodem dolo usus est?

Planci literae in senatu recitatae videntur a. d. XIII. Kal. Apriles, quo die Cicero iis respondit. Eodem fortasse die Pansa Roma profectus est Hirtio suppetias laturus. (*Cf. DRUMANNUS Gesch. Roms. T. I. p. 276, 282. FISCHERUS Röm. Zeittafeln. p. 324. CICERO Phil. XIII. 7, 10, 18, 20. Epist. ad Fam. XII, 25.*)

Epistola *ad Fam.* 10 libri X responderi Planci literis quae in CICERONIS *Ep. ad Fam.* lib. X. 7 exstant, censuerunt TEUFFELIUS (PAULY *Real-Encycl. in gente Munatia*), GRÄTERUS (*in continuata versione Ciceronis Epistolarum* T. XII. p. 44), alii quotquot de Ciceronis Epistolis fusius egerunt: contendentes, Ciceronem iam multo ante ad literas privatas, quas proximis literis ad senatum adiunxerat Plancus, respondisse quam literas publicas (*ad Fam.* X. 8) accepisset. Verum epistola libri X decima, qua, Grätero iudice, privatis respondetur, a Cicerone data a. d. III. Kal. April.; literae ad senatum vero a. d. VII Idus Apriles Romae in senatu recitatae: spatium igitur plurium dierum inter utramque epistolam intercessit. Ex epistola 12^{ma} libri X literas privatas et publicas eodem die (a. d. VII. Idus April.) acceptas fuisse patet. Quis denique credat, Ciceronem literas accipientem, in quibus erat, simul literas ad senatum missas esse (*ad Fam.* X. 7. 1.), literis privatis prius respondisse quam publicas cognovisset? Quibus de causis epistolam interpretes male habuisse manifestum est. Quomodo difficultatem tollendam censeam, paucis exponam.

Statuo, Plancum, quum senatui suasisset, ut pacem cum Antonio faceret, literis Ciceronis acceptis quodammodo mutasse sententiam magisque in reipublicae studium inclinasse. Epistola vero, qua illud Ciceroni significaverit, procul dubio interiit. Ad illam epistolam deperditam respondetur, me iudice, *Epist. ad Fam.* 10^{ma} libri X; quae a. d. III Kal. April. data, nonnisi proxima post *Ep.* 6^{tam} libri X esse potest. Argumento sint haec Ciceronis verba —: „fama quae de tua voluntate percrebuit magnam es laudem consecutus. Itaque

si consulem Romae habuissemus, declaratum esset ab senatu cum tuis magnis honoribus, quam gratus esset *conatus et apparatus* tuus." — Cicero igitur non magnam operam dedisse videtur, ut praemia Planco decernerentur: „Eius rei (sic enim pergit) non modo non praeteriit tempus, sed ne maturum quidem etiamnunc meo quidem iudicio fuit. Is denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur et datur. — Quamobrem, mi Plance, incumbere toto pectore ad laudem; subveni patriae; opitulare collegae; omnium gentium consensum et incredibilem conspirationem adiuva."

His igitur Ciceronis literis acceptis Plancus, qui non minus probari quam diligere cuperet a Cicerone, ut ipse saltem profiteretur, veritus fortasse, ne alii laudis possessionem occuparent, neve consulatus spes evanesceret magnarumque, quas acturus videbatur, partium stimulis incitatus (Cf. *ad Fam.* X. 4, 2. 8, 2. 9, 1.), M. Varius Sidurium, equitem Romanum, familiarem suum, ad Ciceronem et T. Munatium, qui alius erat ac T. Munatius Plancus Bursa (*ad Fam.* X. 7 et 12.), transire iussit, ex quo omnia cognoscere possent; simul vero publicis literis eidem Munatio missis (*ad Fam.* X. 12. 2.) consulto se senatus partes non iam multo ante secutum esse scribit; fortunam in eum casum se demisisse, ut aut celeriter pollicendo magna ipse ad proficiendum impedimenta opponeret, aut si in eo sibi temperavisset, maiores occasiones ad opitulandum haberet. Exercitum sibi fuisse confirmandum, magnis saepe praemiis sollicitatum, ut ab re publica potius moderata, quam ab uno infinita speraret: confirmandas complures civitates, quae

superiore anno largitionibus concessionibusque praemiorum erant obligatae; alliciendas etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis exercitibusque praefuerant; denique exercitum sibi augendum auxiliaque multiplicanda.

„Ita, inquit, nunquam diffitebor multa me, ut ad effectum horum consiliorum pervenirem, et simulasse invitum et dissimulasse cum dolore: quod praematura denuntiatio boni civis imparati quam periculosa esset, ex casu collegae videbam. Quo nomine plura etiam verbo quam scripto mandata dedimus, ut et tectius ad vos perferrentur, et nos essemus tutiores; quibusque rebus et communem salutem muniri et nos armari conveniret, praecepimus. *Ex quo intelligi potest curam rei publicae summae defendendae iampridem apud nos excubare.* Nunc quum deum benignitate ab omni re sumus paratiores, non solum bene sperare de nobis homines, sed exploret iudicare volumus. Legiones habeo quinque sub signis et sua fide virtuteque reipublicae coniunctissimas; — equitatus auxiliorumque tantas copias, quantas hae gentes ad defendendam suam salutem libertatemque conficere possunt. Ipse ita sum animo paratus, vel provinciam tueri, vel ire quo respublica vocet, vel tradere exercitum, auxilia provinciamque, ut vel omnem impetum belli in me convertere non recusem, si modo meo casu aut confirmare patriae salutem aut periculum possim morari.”

In literis, quas ad Ciceronem dederat, occasione non deest sui commendandi, (*ad Fam. X. 12.*). „A te peto, ut dignitati meae suffrageris et, quarum rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem;” in publicis vero: „*Mihi quidem ipsi*, inquit, fructus meritorum meorum in reipublicae incolumitate

satis magnus est paratus; eos vero, qui meam auctoritatem et multo magis vestram fidem secuti nec ulla spe decipi nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur." (*Ad Fam. X. 8, 7.*)

Plancus l. l. quinque legiones sub signis habuisse dicitur genere firmissimas; APPIANUS vero (*de bellis civ. III. 46*) tres tantum legiones eum habuisse testatur; denique in *Epist. ad Fam. 24. lib. X*, Plancus se tres legiones veteranas, unam tironum habere scribit (*Cf. ad Fam. XI. 13*). Quae discrepantia offendit TEUFFELIUM, DRUMANNUM, alios. Verum tempora sunt distinguenda. APPIANUS de tribus loquitur legionibus eo tempore, quo Antonius Ariminum petebat. Harum numerus postea auctus est, ut ipse Plancus nos docet (*ad Fam. X. 8.*); eumque fluctuasse inde quoque patet, quod Plancus postea de *tironibus* loquatur, licet antea (*ad Fam. X. 8.*) non nisi de veteranis mentio fieri videatur. A. d. VII Idus Apriles mane M. Varisidius literas Ciceroni reddit (*ad Fam. X. 12.*), quibus lectis Cicero incredibili gaudio elatus continuo omnes voluptatis suae fecit participes. Interim T. Munatius venit ad Ciceronem, ut consuerat, ab eoque certior fit fratris gestorum: nam Varisidius, ut mandatum erat, primum ad Ciceronem se contulerat. Literae statim ad praetorem urbanum delatae, qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat. Convocatus est senatus frequensque convenit propter famam atque expectationem literarum. Recitatis literis, Cornuto religio oblata est pullariorum admonitu, quod non satis diligenter auspiciis operam dedisset, idque ab augurum collegio comprobatum est. Res itaque delata in posterum (a. d. VI. Idus April); quo die Ciceroni magna pro

Planci dignitate contentio fuit cum Servilio, quem, quum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens senatus reliquit in alia omnia discedens: Ciceronis sententiae, quae secunda pronuntiabatur, quum frequenter assentiretur senatus, rogatu Servilii P. Titius intercessit. Itaque res iterum in posterum (a. d. V. Idus April.) dilata. Venit paratus Servilius, Iovi ipsi, cuius in templo res agebatur, iniquus. Eum vero vehementer fregit Cícero, magnaque contentione Titium intercessorem abiecit. Ipsum audiamus: „senatus gravior, constantior, amicier tuis laudibus esse non potuit quam tum fuit. Nec vero tibi senatus amicier quam cuncta civitas. Mirabiliter enim populus Romanus universus et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam rempublicam conspiravit. Perge igitur ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati.”

Plancus igitur tandem reipublicae fautor factus, Antonium aggressurus a. d. VI. Kal. Maias exercitum Rhodanum traiecit. Equitibus mille (vel ut est in *Epist. ad Fam. X. 11* tribus millibus) via brevior Vienna praemissis, cum omnibus copiis magnis itineribus ipse subsequitur. Literis quibus Ciceronem huius itineris certiore facit (*Epist. ad Fam. X. 9.*) haec inserit: „In dies meritorum meorum fieri accessiones pervidere te spero, cogniturum magis recipio.” Quae verba argumento esse possunt, quam vehementer et ambitionis et vanitatis morbo laboraret.

Fama victoriae Mutinensis (Cf. CIC. *Epist. ad Fam. XI. 9.* Cf. APPIAN *Bell. Civ. III. 75.* DIO XLVI. 39. DRUMANNUS *Gesch. Roms. I. 309.*) biduo post has literas Romam perlata spem Ciceroni reipublicae servandae

auxit. Sperabat enim, Lepidum reipublicae temporibus admonitum cum Planco et republica facturum bellumque prorsus extincturum. „In illam, inquit, curam incumbem, mi Plance, ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur: quod si erit factum, et rem publicam divino beneficio affeceris et ipse aeternam gloriam consequere.” (*ad Fam. X. 14.*) Ut vero celeriter bellum conficeretur, Plancus aequae ac Lepidus et Asinius Pollio signa Antonio, ubi iis appropinquasset, inferre a senatu iussi sunt (*APPIAN. Bell. Civ. III. 74. Epist. ad Fam. X. 33. 1.*).

Antequam vero Plancus de proelio Mutinensi audiverat, fratrem Cn. Munatium Plancum cum equitibus praemisit, ipse iter ad Mutinam direxit. In itinere vero de proelio facto, mortuis Hirtio et Pansa, fuso Antonio, Brutoque et Mutina obsidione liberatis cognovit. Nullum igitur alium receptum Antonio partiumque eius reliquiis esse nisi in Galliam: duasque ei spes esse propositas animadvertens, unam Lepidi ipsius, alteram exercitus eius (pars enim Lepidi exercitus non minus furiosa erat quam milites qui cum Antonio erant,) equitatum revocat, ipse in Allobrogibus consistit, ut deinde ad omnia paratus esset, prouti res moneret. Quum vero videret, si Antonius copiarum aliquid secum adducens ab exercitu Lepidi reciperetur, se iis haudquaquam parem futurum, operam dat, ut Lepidum ad societatem incitet, omnia ei obsequia pollicitus, dum rempublicam respicere velit. Utebatur hac in re adiutoribus interpretibusque fratre suo Cnaeo, Laterense, Lepidi legato, („homine, ut ait Cicero, dies atque noctes de laude et de re publica cogitante”) Furnio (*ad Fam. X. 11.*) et L. Gellio (si vera haec lectio *Epist. ad Fam. X. 17.*). Brutus interea quam maxime sollicitus

quid Lepidi exercitus, quid Plancus, cui non magnam fidem habuisse videtur, facturus esset Ciceroni a. d. III. Kal. Maias e castris Regiis scribit: „Mihi persuasum est, Lepidum recte facturum nunquam; — Plancum quoque confirmetis oro, *quem spero*, pulso Antonio, reipublicae non defuturum.” (Cf. *ad Fam.* XI. 9.)

Nec multo post Brutus literas intercepit quas Antonius ad Plancum, de quo spem nondum abiecerat, dederat (*ad Fam.* XI. 11), una cum literis ad Lepidum Asiniumque Pollionem missis.

Literis, quibus Ciceronem gestorum suorum certiozem reddit, iam perscriptis sed nondum obsignatis Plancus alias annectit (*ad Fam.* X. 15.), quibus Lepidum fidem sibi dedisse, eumque Antonium, si prohibere provincia sua non posset, bello persecuturum scribit. Quum vero Lepidus ne mediocre quidem equitatum haberet, ex cuius paucitate non multis ante diebus decem qui optimi fuerant ad Plancum transierant, quumque Antonius ab equitatu firmus esse diceretur, Plancum rogavit ut veniret copiasque coniungeret. Ut igitur exercitus Lepidi eam partem, quae corrupta erat et ab re publica alienata, et corrigere et coercere praesentia exercitus sui posset, Plancus in Isara flumine ponte uno die facto, exercitum a. d. IIII Idus Maias traiecit (*ad Fam.* X. 21), contra Antonium progressus, quem „parricidam perditum abiectumque latronem” vocat (*ad Fam.* X. 15, 1, 4. 23, 3. 24, 3).

Quum vero nuntiatum esset, Antonii fratrem Lucium praemissum cum equitibus et cohortibus ad Forum Iulii venisse, fratrem Cnaecum cum equitum quatuor millibus, ut occurreret ei, pridie miserat (a. d. V Idus Maias: *ad Fam.* X. 15, 3.); ipse magnis itineribus cum qua-

tuor legionibus expeditis et reliquo equitatu subsequitur.

Idibus Maiis Antonius ad Forum Iulii cum primis copiis venit; Ventidius Antonianus bidui spatio ab eo aberat; Lepidus ad Forum Voconii castra habebat, qui locus a Foro Iulii quatuor et viginti millia passuum aberat, ibique Plancum exspectare constituit, simul vero Apellam Planco mittit, quo obside fide illius et societatis in republica administranda uteretur.

Haec igitur nostro prospere succedebant, alia vero ex parte magnum detrimentum cepit. Frater enim Cnaeus, qui assiduis laboribus et concursationibus iam dudum lassatus erat, quod antea iam cum Cicerone communicaverat Plancus in literis quae perierunt (Cf. *ad Fam.* X. 17, 2), Lucii hortatu, quod illa valetudine magis se conficeret quam fratrem iuvare posset, Romam rediit. Num tamen haec vera fuerit causa dubitare licet, si reputamus quae Plancus Ciceroni scribit, se existimare acerbissimo interitu consulum nudatam rem publicam tali cive praetore indigere in urbanis officiis. Quo munere aegro fungi sane non lieuisset. Laevus et Nerva legati, quod probabile est, Planci literas Romam detulerunt et in frequenti senatu Cornuto reddiderunt, quum is frigidus et inconstans Lepidi, quem capti consilii fortasse iam poenitebat, recitasset. Nec mirum igitur eas magnis clamoribus fuisse exceptas. Senatus Cornutum flagitare institit, ut referret statim de Planci literis. Ille se considerare velle dixit. Quum vero magnum convicium ei fieret cuncto a senatu, quinque tribuni plebis retulerunt. Servilius rogatus rem distulit. E Ciceronis sententia senatusconsultum factum, quo honores Planco

decreti videntur. Ne vero quid Planco obstaret in hostibus propulsandis, neve ullus morae praetextus esset, Cicero (*ad Fam.* X. 16, 2): „nihil, inquit, huc reiicias neve in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus: quocumque te ratio reipublicae ducet, sequare. Cures, ut ante factum aliquod a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid erit a te factum, id senatum non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum comprobaturum.”

Ultimis his verbis Cicero spectat ad ea, quae Plancus (*Epist. ad Fam.* X. 17.) nuperrime scripserat de Cn. fratre Romam misso: „Quod si quis vestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem.”

Interea Lepidus binis continuis literis Plancum ut veniret rogat, et Laterensis multo propius etiam instans obtestatur: eandem scilicet rem extimescens, quae Planco timorem iam fecerat, varietatem atque infidelitatem exercitus eius. Itaque Plancus non dubitandum putavit quin succurreret seque communi periculo offerret; si quid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset, hoc omne assignatum iri aut pertinaciae suae aut timori intelligens. Antonium se mox victurum haud dubitat. „Mihi si contigisset, sic enim loquitur, ut prior occurrerem Antonio, non mehercules horam constitisset: tantum ego et mihi confido et sic percussas illas copias Ventidiique mulionis castra despicio.”

Celeritati satisfaciens a. d. XII. Kal. Iun. ab Isara castra movit; pontem tamen, quem in eo flumine fece-

rat, castellis duobus ad capita positis munivit praesidiaque ibi firma posuit, ut venienti Bruto exercituique eius sine mora transitus esset paratus (*ad Fam. X. 18.*).

Antonius a Lepido nondum recipiebatur, quod Plancus saltem se putare Bruto scribit (*ad Fam. X. 20, 2. XI. 14, 3.*); Ciceroni tamen illud scribere non ausus est, veritus fortasse ne spe inani falleret fautorem. Praeterea postea ipse dicit se nunquam Lepido ex animo credidisse (*ad Fam. X. 23, 1.*). Iam vero proximis literis Plancus in spem adductum se scribit bono Lepido utendi communique consilio bellum administrandi (*ad Fam. X. 18.*), seque credidisse Lepidi chirographis, rogationi praesentis Laterensis, reconciliaret se Lepido fidemque haberet orantis. Mox vero quid ab illo sperandum, quid timendum esset, comperit.

Planco enim cum copiis ab Isara profecto praesto fuit Lepidi stator cum literis, quibus ne veniret denuntiabat: se posse per se conficere negotium; interea ad Isaram exspectaret. Plancus existimans eum socium victoriae vitare, eiusque gloriae invidens, nihilominus ire decrevit, optimum esse ratus propinquis locis subesse, ut, si adversi aliquid accideret, succurrere celeriter posset. Laterensis interea suo chirographo scribit Planco, desperare se de exercitu, de Lepidi fide. Exemplar eius chirographi P. Titio tribuno plebis mittit Plancus, simulque omnia chirographa Laevo Cispio legato, qui omnibus iis rebus interfuerat (*ad Fam. X. 18, 1. 21, 3.*), Romam dat perferenda.

Lepidi milites improbi per se, corrupti per eos qui praecerant, Canidios, Rufrenos, alios, conclamant se, duobus iam consulibus occisis, tot civibus pro patria amis-

sis, adversus Antonii milites non pugnatu-
ros. Qua de causa Plancus ultra progre-
di et duobus exercitibus con-
iunctis obviare exercitum fidelissimum,
auxilia maxima, principes Galliae,
provinciam cunctam, summae dementiae
et temeritatis esse ratus, rediit,
exercitumque locis habeat opportunis,
provinciam tueatur, etiamsi ille exer-
citus descierit, omniaque integra servet
dat operam; Ciceronem ut exercitum
quam primum traiciendum curet hortatur,
ne hostes corroborentur suosque perturbent.
Literas quibus haec scribit Plancus
(*ad Fam.* X. 21) bipartitas facit GRÄTERUS
T. XII, p. 152. idque probabiliter
propterea quod media in epistola legitur:
„fac valeas meque diligas,” id tamen non
impedit, opinor, quominus nonnulla
his verbis subiungantur. Praeterea non
vidit Gräterus altera parte, posteriori
nempe, epistolam non absolvi. Nemo sane
credet Plancum epistolam finisse occasione
sui commendandi omissa; illud sane fecit
in posteriori demum parte his verbis. „Meam
dignitatem commendatam habeas, rogo.
Concupiscere me nihil oportet: *habeo te et
amantissimum mei et, quod optavi, summae
auctoritatis.* Tu videris, quantum et quando
tuum munus apud me esse velis. Tantum te
rogo *in Hirtii locum me subdas* et ad tuum
amorem et ad meam observantiam.”

Verum eo unde digressi sumus redeamus.

Plancus prope in conspectum Lepidi et
Antonii copias adduxit, quadraginta
millium passuum spatio relicto, ut pro
rerum ratione agere posset. Interea vero
a. d. IV. Kal. Iunias Lepidus cum Antonio
se coniunxit. Quod eum „desperato
adventu Planci, quem non medio-
criter captaret”, fecisse scribit; antea
vero Lepidum ro-

gasse ne veniret dixerat, se posse per se conficere negotium contententem (*ad Fam. X. 21, 2.*).

Eodem die, quo se coniunxerunt Antonius et Lepidus, adversus Plancum castra movent: quod, viginti millia passuum quum abessent, Planco nuntiatur. Hic igitur, ne discessus fugae simile quid haberet neve miles ullus, ullus eques, quidquam impedimentorum amitteretur, pridie Nonas Iunias demum copias Isaram traiecit pontesque, quos fecerat, interrupt, ut spatium ad colligendum se homines haberent, dum cum Bruto se coniungeret, quem a. d. V. Idus Iun. adventurum confidebat. Veniebant magno furore in eum incitati exercitus coniuncti. Nec mirum. Lepidi enim legatos ad se missos in conspectum venire vetuerat et C. Catium Vestinum tribunum militum, ab Antonio ad eum missum cum literis, exceperat. Ut vero bono eventu iis resisteret, aucto exercitu ei opus erat, eaque de causa per literas Cularone e finibus Allobrogum a. d. VIII. Idus Iun. datas, Ciceronem, ut Caesar cum copiis firmissimis auxilio sibi mittatur, enixe rogat. (*ad Fam. X. 23.*)

Brutus interea eo tempore quo Plancus speraverat advenit copiasque cum eo coniunxit. *Epist. ad Fam. XI. 15. VELL. PAT. II. 63, 64. APP. III. 81. DIO. XLVI. 53.*

Dolendum est, literas Planci usque ad a. d. V. Kal. Sext. periisse. Inde factum ut de reliquis literis tempus quo datae sint non nisi coniectura assequi nobis liceat. Bruto secum coniuncto, Plancus ad senatum scripsisse videtur de agris militibus assignandis. Huc enim me iudice spectant literae, quae exstant in *Epist. ad Fam. libr. X, 22*, quas ceteri interpretes multo ante

scriptas esse volunt. Hos a vero aberrare literasque istas post Plancum Brutumque coniunctos scriptas esse iam ipsa verba arguunt, quibus orditur Cicero: „In te et in collega (Bruto) omnis spes est. Diis approbantibus, concordia vestra (*ad Fam. XI. 15, l. 12, 8.*), quae senatui declarata literis vestris est, mirifice et senatus et cuncta civitas delectata est.” Simul vero Cicero senatum de re agraria non consultum esse scribit, se vero, ut quisque honorificentissimam sententiam dixisset, eam secuturum fuisse, multa vero impedivisse quominus res ad exitum perveniret. Non multo post aliquid militibus (*ad Fam. X. 24.*) concessum videtur senatusconsulto ita prescripto, ut a Cicerone de scripto dicta erat sententia, quam senatus frequens summo studio magnoque consensu secutus est. Simul vero Cicero amicum ut, quum copiis Bruti sibi adiunctis viribus satis valeret, Antonium opprimat bellumque conficiat hortatur. „Tu, inquit, contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non Diacem nec Achillem, sed Ulixem appellavit *πολιπορφον*.” (*ad Fam. X. 13.*) Literis ad senatum, ut puto, missis gratias agit, quibus respondet Cicero, eum ut *belli extrema* perficiat rursus adhortatus. „Qui enim Antonium oppresserit is hoc bellum teterrimum periculosissimumque confecerit.” (*ad Fam. X. 19.*)

Literas vero privatas (*ad Fam. X. 24.*) ad Ciceronem dat, quibus iterum gratias agit eumque docet Furnium legatum, qui praeturae petendae gratia Romam redire voluerat, verum a Cicerone monitus (*ad Fam. X. 25.*) consilium in aliud tempus distulerat, Caesarem adiisse cum literis ut eum ad se vocaret. Caesar non inter-

misit affirmare se sine mora venturum. Erat illud magni momenti; nam Bruti Plancique exercitus numero quidem amplissimus erat, firmitate vero exiguus. In Planci castris erant veteranae tres, tironum una; in castris Bruti una veterana legio, altera bima, octo tironum. Quantum autem in acie tironi esset fidendum, nimis expertum habebant. Plancus igitur se, nisi Caesar aut Africanæ legiones celeriter venirent, haud diu bellum sustinere posse facile intelligebat Caesarisque adventum vehementer exoptabat; bellum interea duriore conditione sustinet, quod neque expeditissimam dimicationem putaret, neque refugiendo committere posset, ut maius detrimentum acciperet respublica. (*ad Fam. X. 24.*)

Caesar vero spem, fore ut in plagas Bruti Plancique incideret Antonius, praecidit: non in Galliam profectus, sed Romam, ubi percussis adventu suo iis, qui in se iniqui essent, consul creatus est cum quo volebat collega, Q. Pedio. Quum vero audiret Cassium Brutumque iam XX habere legiones, adversus quas opus sibi esset Antonio, de sarcienda cum Antonio gratia cogitare coepit. Senatus quamvis provideret, neque sibi neque reipublicae utilem fore eam reconciliationem, rem probavit et assensus est, necessitate coactus. Itaque antiquatis senatusconsultis, quibus Antonius Lepidusque una cum suis exercitibus hostes erant iudicati, pacificas iis scripserunt literas, et illi vicissim amicissime rescripserunt Caesari eumque collaudarunt. Antonius vero etiam petiturum se scripsit a D. Bruto poenas perfidiae erga C. Caesarem, a Planco erga se ipsum; deinde se coniuncturum cum Caesare copias. Tum vero Plancus se cum Bruto adversariorum gladio haud ela-

psurum prospiciens, in periculum committere se noluit. Parum enim curasse videtur cuius partes sequeretur, dum ambitioni suae satisfacere et ad honores ascendere posset. Consulatus spe Cicero eum aliquamdiu reipublicae fautorem habuerat; quodsi vero Antonio resistere perrexisset illud munus nunquam obtinuisset. His igitur de causis Plancus, cui innotuerat, Antonium cum Lepido humanissime egisse eique nomen et honores conservare non destitisse (PLUT. *Ant.* 18.), quum Asinius Pollio ad Antonium D. Brutum persequentem defecisset, ipse quoque mense Septembri, Pollione conciliante, reipublicae studium omisit et cum tribus legionibus ad eum transiit, quem paullo ante a. d. V. Kal. Sext. paricidam vocaverat (*ad Fam.* X. 24. Cf. LIV. *Epit.* 120. VELL. II. 63, 64. APP. *B. c.* III. 97, 98. DIO XLVI. 53. PLUT. *Anton.* c. 18. OROS. VI. 18.).

Brutus desertus a socio, inconsultum ratus copias suas belli rudes laboribus insuetas iniquo Marti committere, ad M. Brutum in Macedoniam fugere statuit. Viam fugae capessivit non iuxta Alpes, sed Aquileiam versus. Non procul vero ab hac urbe interfectus est, quod clam iusserat Antonius, cui eius fugae via significata erat. (APPIAN. III. 97, 98. DIO XLVI. 53. PLUT. *Anton.* c. 18. OROS. VI. 18. LIV. *Epit.* 120.) VELLIUS PATERCULUS II. 63, D. Brutum Planci etiam insidiis petitem scribit, hic vero scriptor, ut ubique fere est iudex Planci iniquus, hoc quoque loco facinus exaggeravit.

Ad tempora, quibus Plancus Galliae Ulteriori praefuit, referenda sunt haec verba inscriptionis Caietanae: „Colonias deduxit Lugdunum et Rauricam.” Tempus quo

illud factum sit definire admodum difficile est; eas vero ante a. d. VI. Kal. Maias, quo die Plancus Rhodanum traiecit Italiam versus contendens, eo deductas esse probabile est. Coloniae Lugdunum deductae honor a SENECA *Epist.* 21 uni L. Planco tribuitur. Dio vero XLVI. 50. tradit, senatores, quum audivissent M. Silanum ad Antonium transiisse, timentes, ne Lepidus ac L. Plancus etiam Antonio se adiungerent, misisse ad eos, qui dicerent, nihil iis iam reipublicae opus esse. Ac ne quid sinistri suspicantes facinus aliquod perpetrarent, iussi sunt a senatu, DIONE auctore, iis qui ab Allobrogibus Vienna pulsi erant, coloniam eo deducere. Fuit vero Lugdunum urbs Segusianorum (STRABO p. 186. πόλις τῶν Σεγυσιάνων ¹), ideoque non pertinebat ad Galliam Narbonensem, cui Lepidus praeerat. Praeterea L. Plancus his temporibus cum Lepido copias coniunctas non habuit. Cicero denique non modo Plancum non arcet ab Italia, verum etiam eum saepius hortatur, ut Mutinam obsidione liberet. Quibus de causis DIONIS verbis fidem negandam esse manifestum est.

Denarius, quae in antica habet colunam boves agentem, in postica nomen „Plancum,” caput Iovis Capitolini, cuius cultus in Romanorum coloniis semper instituebatur, ad coloniam eo deductam referendus videtur. VAILLANT. *Num. fam. Rom.* II, 152.

Altera Colonia a Planco condita, fuit Raurica (PLIN. *Hist. Nat.* IV. 12. 17. quae ab aliis „Rauracum” et

1) (Cf MILLIN, *Voyage dans les départements du midi de la France*, I. p. 469 sqq.).

„Rauraci” vocatur (AMMIAN. MARCELL. XIV. 10. XV. 11. XX. 10). Haec colonia, una in paucis florentissima, fuit caput Rauracorum; postea vero Augustae Rauracorum nomen accepit et cum Sequanis iuncta est (KOLB et AUBERT-PARENT *Recherches historiques sur les antiquités d'Augst*, Rheims 1823).

CAPUT III.

L. Munatius Plancus, Antonianus.

Mense Octobri Caesar cum Antonio et Lepido ad componendam amicitiam congressus est, inter quos convenit, ut triumviratum reipublicae e civilibus dissensionibus restituendae per quinquennium gererent consulari potestate. (LIV. *Epit.* 120. DIO. XLVI. 50. APPIAN. *b. civ.* IV. 2. sqq. PLUT. *Cic.* 46. *Anton.* 19—21. ZONARAS X. 16. VELL. II. 65. SUET. *Oct.* 8, 13, 27. TACIT. *Ann.* I. 9. EUTROP. VII. 2. FLORUS. IV. 6. OROS. VI, 18. OBSEQU. c. 129. MONUM. ANCYR. *Tab.* I. v. 7.).

Provincias ita inter se partiti sunt, ut Antonius Galliam regeret, excepta Vetere, quae montibus Pyrenaeis contigua Lepido cederet una cum Hispania; Caesari Africa obveniret cum Sardinia Siciliaque et ceteris insulis. Lepidus in proximum annum consul designatus, in urbe mansurus erat, Hispaniam rectorus per vicarios. Cum Cassio autem Brutoque bellum gerere Antonium

et Caesarem placuit. Itaque, quo alacrior redderetur exercitus, praeter alia proposita victoriae praemia, promiserunt militibus coloniarum loco XVIII Italicas urbes tam opibus quam agri bonitate aedificiorumque pulchritudine praecellentes, quae non secus ac si bello captae essent inter milites essent dividendae. In quarum urbium numero fuit Beneventum (APPIANUS IV. 3.), cuius agros Plancus postea divisit, ut docet inscriptio Caietana, in qua legitur: „Agros divisit in Italia Beneventi” (ORELL. et GRUTERUS l. l.).

Ante omnia tamen triumviris visum est inimicos, ne forte ipsis peregre profectis novas res molirentur, tollere.

In proscriptis fuit Planci frater L. Plautius Plancus. (PLIN. XIII. 3, 5.) Ex APPIANO *B. civ.* l. IV. 12. confecerunt TEUFFELIUS (PAULY *Real-Encycl.* in gente Munatia) et DRUMANNUS IV. p. 209, L. Munatium Plancum illud probasse. Immerito: APPIANUS enim diserte tradit, Plautium aequae ac Quintium, Asinii Pollionis socerum, ante alios in proscriptorum numero fuisse positos, ad incutiendum timorem spemque adimendam, ne quis gratia liberare se quempiam posse speraret. Quod autem scribit VELLEIUS II. 67. 3, Planco gratiam non defuisse ad impetrandum, ut frater eius proscriberetur, fidem non meretur. Rationes, ob quas Velleio in Planci rebus narrandis auctoritatem negemus, infra data opera exposituri sumus.

Plautius igitur, quum in proscriptorum tabulas se relatum videret, Roma fugit et diu latuit in regione Salertina. Verum ex odore unguenti abditum illius cubile repertum est a persequentibus. A quibus compre-

hensi servi, multum ac diu torti, negarunt se scire ubi dominus esset. Non sustinuit Plautius tam fideles servos diutius cruciari; sed processit in medium iugulumque militum gladiis obiecit. Narrationis huius auctor est VALER. MAXIM. VI. 8. 5, cuius fides confirmatur a PLINIO *Hist. Nat.* XIII. 3. 5. PLINIUM sequitur SOLINUS c. 46.

Anno exeunte Plancus triumphavit secundum FASTOS CAPITOLINOS „a. d. IIII. Kal. Ian. ex Gallia.” (Cf. *Inscr. Atinensis.* MURAT. p. 724, 4); idque VELLEII (II. 67. 3. sqq.) et PLINII (*Hist. Nat.* XXXV. 10. 36. 22) testimoniis confirmatur. Qua vero de causa e Gallia triumphaverit, comperire ex iis non licet. Accuratius res cognoscitur ex inscriptione Caietana (ORELL. GRUT. I. I.) in qua „ex Raetis” triumphasse dicitur, qui triumphus non sane diversus est a triumpho Gallico, qui a reliquis memoratur. Nam si bis triumphus Planco contigisset, alter procul dubio in monumento, quod eius honori proprie consecratum fuit, et in quo omnia, quae in republica gesserat memorabilia, erant inscripta, non omissum fuisset. SCHOEPFLINUS *Alsat. illustr.* II. 1. 54. errat in eo, quod Plancum de Raetis triumphasse putat una cum Tiberio. Nullus enim Tiberio ob Raetos domitos triumphus decretus est (Cf. VELL. II. 121. 122. OUDENDORP. ad Suet. *Tib.* 9).

Imperatoris titulum iam mense Aprili ineunte literis inscripsit Plancus (*ad Fam.* X. 8. cf. X. 24.) eoque ornatur ab ipso CICERONE in *Orat. Phil.* III. 15. 38. (Cf. PLIN. *Hist. Nat.* XXXV. 10. 36.). Eum igitur in Galliam profectum cum populo quodam Alpino certasse probabile est. Proelia enim minoris etiam momenti illis

temporibus imperatoris tituli triumphique ansam dare solebant. Eodem consilio D. Brutus in montibus rapinas egerat, ut patet e CICER. *Epist. ad Fam.* XI. 4. 6. (Cf. DRUMANN, *Gesch. Roms.* IV. p. 209).

Tradit VELLEIUS II. 67. fuisse, qui currum Lepidi Plancique secuti, inter iocos militares hunc versum usurparent:

De Germanis, non de Gallis duo triumphant consules. Notum est solitos fuisse milites impune dicteriis petere imperatorem, cuiusmodi dictis non magna auctoritas est tribuenda. Lusum ambiguum in voce *germanis* bene comparat BURMANNUS SECUNDUS ad *Anthol. Lat.* T. I. p. 305 cum simili CICERONIS loco *Phil.* XI. 6. „nisi forte iure Germanum Cimber occidit.” Quae verba explicantur a QUINTILIANO VIII. 3 „Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est, *Germanum Cimber occidit.*” (Cf. RUHNKENIUS ad *Velleii* l. l.). In triumpho huius memoriam Plancus in Capitolio Victoriā quadrigas sublime rapientem posuit, quae pictura a Nicomacho confecta fuit. (PLIN. *Hist. Nat.* XXXV. 36.)

Triduo post triumphum L. Munatius Plancus cum M. Aemilio Lepido II, qui in locum Hirtii suffectus erat, consulatum iniit. Quod constat e FASTIS CAPITOLINIS, in quibus scribitur „L. Munatius Plancus; M. Aemilius Lepidus II.” FASTI SICULI habent „Λεπίδου καὶ Πλάνκου.” CASSIODORUS in *Chron. ed. Onuphr. Panv.* p. 40. „M. Lepidus L. Plancus.” ANON. NORIS. „Lepido et Planco.” In ara apud GRUTERUM (*Corp. Inscr.* p. 1115. c. 2.) inscriptio haec legitur:

„M. Aemilio Lepido II. et Munatio Planco Cos.”

Aliud est apud GRUTERUM marmor (l. l. p. 1042. c. 7.) quod eadem verba habet. In monumento Caietano haec tantum „Plancus Cos.” In DIONIS catalogo consulum, qui praefixus est libro XLVII. leguntur nomina consulum „Μάρκος Αίμυλιος Λέπιδος τὸ β', καὶ Λούκιος Μουνάτιος Α. υἱ. Πλάγκος.” (Cf. DIO. XLVI. 53. XLVII. 16. APPIAN. *Bell. civ.* IV. 37, 45. VELL. II. 67. PLIN. *Hist. Nat.* XIII. 3, 5.)

SUETONIUS *Tib.* c. 5, Tiberium natum esse scripto mandavit a. d. XVI Kal. Dec., M. Aemilio Lepido iterum, L. Munatio Planco consulibus. PLINIUS denique (*Hist. Nat.* II. 31.) plures soles visos esse auctor est, M. Lepido L. Planco Coss. Idem habet IULIUS OBSE-
QUENS cap. 130. p. 72: „M. Lepido, Munatio Planco Coss. soles tres circiter hora tertia diei visi, mox in unum orbem contracti,” qui haec a LIVIO sumsisse videtur.

Quo tempore consulatum iniit Plancus, saeviebat adhuc proscriptionis furor. Eo processerat morum improbitas ut interdum nec cognationis nec amicitiae ratio ulla haberetur. Subinde tamen miranda exstiterunt pietatis documenta, e quibus unum memorari postulat nostrum propositum.

Lucium, Antonii avunculum, soror non dissimulanter apud se habuit, quam centuriones ut matrem imperatoris diu reveriti, sunt, quum vero illi irrumpere pararent, mulier in forum se proripuit ad sedentem pro tribunali cum collegis Antonium, nec domum rediit priusquam per filium impetrasset, ut L. Munatius Plancus consul de illo restituendo referret. Vid. APPIAN. *Bell. civ.* IV. 37. Plancus igitur consul plus valuisse videtur quam antea;

alioquin non dubito quin fratrem periculo eripuisset; sed ne in IIIvirorum odium incurreret, iis fratrem proscibentibus resistere non ausum esse existimo. De alio quoque proscripto, Sergio, revocando postea retulit. Eo spectat denarius in cuius antica effigies et nomen Planci exhibentur; in postica legitur „ob cives servatos.” Denarius hic percussus videtur in civium a Planco proscriptioni ereptorum memoriam. Eum a Lugdunensibus cusum esse falso contendit ECKHELIUS *Doctr. numm.* V. 258. (Cf. VISCONTI *Iconographie Romaine* I. 223 sqq.) Ex imagine ipsa, Plancum iam senem fuisse eo tempore, quo denarius cusus est, colligere licet. Illud igitur postea demum factum videtur. Denarium mercaturae inserviisse non probabile est, quum nomen imperatoris vel magistratus aut literae „S. C.” non adsint. Narrat PLINIUS *Hist. Nat.* VII, 10 ex eoque SOLINUS c. 1, Plancum ore simillimum fuisse histrioni, cui ea de causa Planci cognomen impositum est. Sunt et alii denarii, in quibus nomen „Plancus” et „ob cives servatos” leguntur. De his vero postea fuse agetur. (Cf. ECKHEL. *Doctr. num.* V. 258. VAILLANT. *Numm. fam. Rom.* T. II. p. 152. *Catal. d'Ennery* p. 58. PEMBROCK. *Catal.* P. III. tab. 6.).

E proscriptionis malis alia mala pullularunt. Milites enim imperia parum curantes, ultro etiam peiora perpetrabant, probe intelligentes in se solis sitam esse triumvirorum potentiam et incolumitatem. Itaque petebant proscriptorum domus, agros, villas, census integros; eoque res devenit, ut a triumviris Plancus consul iussus sit compescere eorum licentiam. Hic vero non ausus ipsos milites aggredi, servos nonnullos, qui militari habitu

cum illis peccare consuevissent, comprehensos in crucem egit. *APPIAN. Bell. civ. IV. 35.*

Circa idem fortasse tempus agrum Beneventanum iam antea militibus promissum, inter eos divisit, ne res novas molirentur.

Aestate huius anni prope iam exacta, Antonius cum Caesare in Graeciam transvectus est, Brutum Cassiumque aggressurus. Quibus superatis, Antonius in Asiam traiecit, indeque Cleopatram, quae in Cilicia ad eum venerat, formae eius speciem ingeniique lumen admiratus, iuvenili incensus amore, in Aegyptum secutus est. Octavianus Romam rediit ut agros militibus divideret. Venit eo, ineunte a. u. 713, ubi id tantum agebat, ut militum animos sibi conciliaret, ab Antonio abalienaret. Quo animadverso, M. Antonii frater, Lucius Antonius Pietas consul, et uxor eius Fulvia, et qui absentis Antonii res procurabat Manius, ne Caesaris videretur omne hoc beneficium neve Antonius fraudaretur favore militum, omni studio id impedire sunt conati.

Contentionibus inde Lucio Antonio cum Octaviano exortis, bellum, quod Perusinum dicitur, exarsit, in quo Planci etiam partes fuerunt. Octavianus statim contra L. Antonium proficiscitur; hic vero intra Perusiae moenia se recipit, ut si opus esset, in urbe munita hiemaret, donec Ventidius cum Asinio Pollione auxilio venisset (*APP. V. 32*), urbemque fossa atque aggere cinxit. Fulvia Ventidium Asiniumque nec non Ateium et Calenum hortata est, e Gallia auxilio properarent obsessis: simul vero alium exercitum, recens collectum Munatii Planci ductu ad Lucium misit.

Plancus in itinere obviam fit legioni Caesarianae, quae

Romam petebat; pugnaque commissa eam plane concidit. Asinius et Ventidius interea vi erumpere per eos, qui ad aditum urbis intercludendum missi erant, conati sunt: quare Caesar, relicta Perusina obsidione, obviam iis profectus est. At illi, quum nondum copias suas coniunxissent, contulerunt se alter Ravennam, alter Ariminum, Plancus Spoletium se recepit. Quo comperto, Caesar Perusiam rediit. APP. V. 33. Cf. VELL. II. 71. Iam vero Ventidius et reliqui earum partium duces ignominiosum rati laboranti fame Lucio non subvenire, cuncti ad eum proficisci instituunt, disiectis Caesarianis, qui undique eos obsidebant.

Quum vero Agrippa et Salvidienus cum maioribus copiis adventarent, veriti ne circumvenirentur, Fulginium versus deflectere optimum duxerunt, quod est oppidum XX millia passuum a Perusia distans, ubi ab Agrippa obsessi nocturnis ignibus accensis signum dabant Lucio. (APP. *Bell. Civ.* V. 33. 34. 35.) Ibi dum inter se deliberant, Ventidio et Asinio Pollioni placuit ut vel sic tamen proficiscerentur proelioque decernerent; sed Plancus amplius expectandum censuit, ne ingererent se inter Agrippam et Caesarem, quod sine periculo fieri non posset. Ea sententia vicit. Itaque, qui Perusiae obsidebantur, ad primum conspectum ignium gavis, tardantibus sociis, premi eos ab hostibus coniciebant. Ubi vero cessarunt ignes, deletos socios opinati, quum nec caedis nec famis appareret finis, obsessique identidem erumpere frustra conati essent, in deditionem venerunt. L. Antonio aequae atque omnibus eius militibus veniam dedit Caesar. LIV. *Epit.* 126. VELL. PAT. II. 74. DIO XLVIII. 14. 15. APPIAN. *Bell. Civ.* V. 34-49.

Bello confecto Plancus, et quotquot his partibus faverant, caput belli Lucium fuisse rati, protinus ad mare profugerunt, alius alia via; Plancus Antonium petiit, persequentibus Caesarianis. APP. V. 50. Agrippa duabus Planci legionibus Cameriae interceptis persuasit, ut signa ad se transferrent. Profugit et Fulvia cum filiis Puteolos, inde Brundusium, deducuntibus III millibus equitum, qui ei a ducibus exercituum fuerant missi. Brundusii vero quinque naves longas, accitas e Macedonia, conscendit, solvitque una cum ea Plancus, qui rebus suis diffidens reliquum etiam exercitum deseruerat. Exercitus eius reliquiae Ventidii auspiciis se traderunt. (APPIAN. *Bell. civ.* l. I. VELL. II, 76, 2. Cf. DIO XLVIII, 15.) Asinius Pollio interea non tantum sibi salutem quaerens, etiam Cn. Domitium Ahenobarbum, qui a Bruti Cassiique partibus steterat, pertraxit ad Antonii amicitiam.

Primo vere (a. u. 714.) Antonius Alexandria terrestri itinere Tyrum profectus, inde per Cyprum et Rhodum Athenas navigavit; ubi Fulviam et Plancum, mulieris comitem, excepit. APPIANUS *Bell. civ.* V. 52. Inde Antonius navigat per Ionium mare cum non magna militum manu, classe vero ducentarum navium, quas in Asia confecerat. Certior enim factus erat, Cn. Domitium Ahenobarbum cum classe et magnis copiis sibi obviam venire. Nonnullis Domitius parum constans in incepto foedere futurus credebatur; nihilominus Antonius, ne diffidere videretur, navigare pergit cum quinque optimis navibus, reliquis ex intervallo subsequi iussis. Quumque iam in conspectu esset Ahenobarbus, cum omnibus copiis cunctaque classe appropinquans

citato remigio, extimuit Plancus, et Antonio adstans, censuit sistendum cursum, et praemittendos qui fidem hominis dubiam explorarent. Antonius vero, mori se malle dixit deceptum foedere, quam evadere signo pavoris edito, cursumque continuavit. Navis praetoria appulsa est ad latus navis Antonii; sequitur salutatio imperatorum, et milites Domitii Antonium imperatorem consalutant. Tunc quidem vix animum Plancus recepit, teste APPIANO *Bell. Civ.* V. 55. (Cf. DRUMANNUS *Gesch. Roms.* IV. 209.) Antonius deinde Brundisium navigat, Octaviano bellum illaturus; mox vero pax inter eos composita est. Quo facto Plancus in Asiam missus esse videtur, quam provinciam Parthi incursionibus vastabant. (Cf. DIO. XLVIII, 24. LIV. *Epit.* 127. PLUT. *Anton.* 28, 30. VELL. II, 78.) DIO CASSIUS, XLVIII, 24. eum a. u. 713 eam provinciam accepisse scribit, prius quam Antonius Cleopatram primum adisset. Perperam: Plancus enim eo tempore bello Perusino intentus erat, ut supra vidimus.

Denarius in quo lituus et urceus intra verba *M. Anton. IIIvir. R(ei) P(ublicae) C(onstituendae)* exhibentur, et ex aversa parte guttus intra fulmen et caduceum, supra *L. Plancus. Imp(erator) Iter(um)*, hoc tempore cusus est; nam imperatoris titulo iterum ornatus videtur, legione Caesariana, quae urbem petebat, concisa in itinere: alibi enim bellum eum gessisse non relatam est. Aliter statuerunt TEUFFELIUS (*PAULY Real-Encycl.* l. l.) et BORGHESIIUS (*Giorn. Arcad.* XXV. p. 359), qui eum hoc titulo anno u. 719 ornatum esse contendunt. Merae coniecturae; eum enim post illud tempus victoriam ab aliquo reportasse nullo auctore constat. In

honorem igitur Antonii triumviri, cuius legatus fuerat Plancus, denarius percussus est. Lituus et urceus in antica ad sacerdotium, quo ornatus erat, septemviratum epulonum, spectant, quod laudatur quoque in inscriptione Caietana (GRUTERUS, ORELL. l. l.); fulmine IIIvirorum imperium, caduceo pax et felicitas renovata designantur (Cf. ECKHEL. V. 257. VI. 43. VAILLANT, *Musat.* RASCHÉ III. l. p. 954. DRUMANNUS, *Gesch. Roms.* I, 393, 427). In Asia Plancus haud prospere rem gessit. Parthi enim, qui iam dudum turbas moliebantur, magis magisque Romanos vexare coeperunt, incitante Labieno, qui, quum a Bruto et Cassio ad Parthos petendi auxilii causa missus esset, audito horum interitu, apud barbaros remanserat et belli ducem se professus multasque gentes ad defectionem se impulsurum pollicitus, magnis copiis ab Orodo Parthorum rege acceptis, cum eius filio Pacoro ablegatus erat. Cum iis copiis Syriam subegit Labienus, Tyro excepta, deinde Ciliciam occupavit et Asiae urbes in continenti sitas cepit plurimas. Quo cognito, Plancus metu hostium numero longe maiorum in insulas traiecit, ut refert DIO, XLVIII, 26, unde hausit ZONARAS X, 22 collato loco PLUTARCHI *Ant.* c. 30 sqq. Cf. IUSTINUS XLII, 4.

Inde ab hac fuga per quinquennium fere nulla Planci gesta memorantur. Per illud temporis spatium fortasse librarii munus, de quo loquitur VELLEIUS II. 83, apud Antonium sustinuit. Tum vero (a. u. 719) Syriae praefectus est (APPIAN. *Bell. Civ.* V. 144), quo tempore Sextus Pompeius Mileti diem obiit a Titio interfectus iussu Antonii. Fuerunt, qui non Antonii, sed Planci iussu id factum dicerent, cui mandatam erat ab Antonio,

ut in rebus moram non patientibus non solum Antonii nomen inscriberet epistolis, verum etiam ipsius annulo signatorio uteretur. Alii rursus praescriptum a Planco, sciente Antonio, ut qui ipse id facere vereretur et propter Pompeii nomen et magni patris memoriam et propter Cleopatram ei faventem; alii denique Plancum sua sponte id fecisse contendunt. In tanta testimoniorum discrepantia verum discernere haud facile est. Plancum interfici iussisse Pompeium admodum probabile est, praesertim quum Titius ille qui caedem perpetravit ei affinis fuisse videatur; si vero fecerit, eum ab Antonio iussum esse, non est quod dubitemus (Cf. DIO. L, 1.).

Ceterum in Syria provincia Plancus parum honeste se gessisse videtur. Scribit enim VELLEIUS l. l., cum ob manifesta rapinarum indicia, Alexandriam quum rediisset, ab Antonio alienatum esse. Addit, istud Planco deficiendi causam fuisse. Qui peccarunt in leges, metuunt et oderunt legum vindices. Hoc sane apud Plancum quoque obtinuit. Mansit tamen aliquamdiu cum Antonio, quum Octaviani erga se voluntatem haud satis exploratam haberet. Cleopatra interea Plancum in aula ludibrio habuit, quod ille molliter passus est. Si fides habenda est VELLEIO, l. l. in convivio caeruleatus et nudus, capite arundine redimito, caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltavit (Cf. RUHNKENIUS ad VELL. II. 83. et BURMANNUS T. II. p. 1053 sqq. OVID. *Metam.* XIII 904^s sqq. MERCERUS ad ARISTAENET. I. *Ep.* 26). Eodem

1) Cf. quae de hoc loco Velleiano disputant RUHNKENIUS ad VELL. l. l. T. I, p. 349. FRIEBELIUS in *Gr. Satyrogr. fr.* p. 150. HALMIUS in *Zimmermanni Annall. Studd. Antiq.* a. 1837 c. 110. p. 903. KRITZIUS p. 376 sqq.

pertinet narratio a MACROBIO *Saturn.* II. cap. 13, § 15, 16, 17. (ed. JAHN. p. 340.) relata, qua Cleopatra Antonium provocasse fertur contendens, insumere se posse in unam coenam sestertium centies. Id mirum Antonio visum, nec moratus sponsione contendit, dignus scurra¹⁾ Munatio Planco, qui tam honesti certaminis arbiter electus est. „Postridie igitur Cleopatra pollucibilem sane coenam paravit, sed quam non miraretur Antonius, quippe qui omnia quae apponebantur ex quotidianis opibus agnosceret. Tunc regina arridens fialam poposcit, cui aceti nonnihil infudit atque illuc unionem dentum ex aure altera festinabunda demisit, eumque mature dissolutum absorbit: et quamvis eo facto sponsione vicisset, quippe cum ipsa margarita centies sestertium evaluisset, manum tamen et ad alterius unionem auris admovit, quem aequae atque alterum absorbuisset, nisi Mu-

1) Hic locus interpretes male habuit. Fuerunt qui scriberent „*Nunatio*, *Manutio*, *Minatio*,” quum vero non nisi in gente Munatia Planci occurrant, hac de re dubium oriri nequit. Quid vero de verbis „*dignus sculna*” statuendum sit difficilior est quaestio. *Codex Vaticanus* et *ed. Pontana* habent „*dignus culina*,” emendavit MEURSIUS „*dictus sculna*,” quod recepit FULVIUS (*Append. ad Giacconii Triclinium* p. 87). GRONOVIVS „*digna sculna*” veram lectionem esse putat. ZEUNIVS denique, „*digna*” scribendum suspicatur, ut pertineret ad „*sponsione*” ZEUNIO assentitur JAHNIUS, qui tamen, quum nullus codex suffragetur, emendationem in textum recipere dubitat. Miror equidem neminem verbo „*sculna*” offensum esse. *Sculna* (Syncope v. „*seculna*,” sequester) idem valet quod „*arbiter*,” quae vox in eadem periodo occurrit.

Verba „qui tam honesti certaminis arbiter electus est,” tautologiam efficiunt languidissimam. Levi emendatione omnia recte procedant; quicumque vero norit qua indole fuerit Plancus, vocem „*scurram*” unice eam exprimere facile concedet. „*Dignus*” nomin. cas. scribendum est. Sensus enim huc redit: Antonius talem hoc certamine imo se praestitit, ut scurrae nomine aequae dignus esset censendus ac Plancus, „qui rel.”

natus Plancus *iudex severissimus* superatum Antonium mature pronuntiasset." Hoc summae luxuriae exemplum, quod postea imitatus est Caesar Caligula (Suet. c. 37), totidem verbis a Plinio (*Hist. Nat.* IX. 35. sqq. 88, § 119 sqq.) memoriae proditum est.

Non mirandum sane est, Octavianum aegerrime ferentem, quod Antonius in omnibus Cleopatrae indulgeret, multitudinem excitata, bellum parasse aemulo. Quo comperto, hic extemplo Canidium cum XVI legionibus ad mare descendere iussit; ipse trahens secum Cleopatram concessit Ephesum, quo classis undique cogeatur. Tum vero L. Munatius Plancus, Domitius et Titius plurimum obstiterunt, ne sequeretur Cleopatra, ut belli laborum impatiens; at illa ingenti mercede induxit Canidium, ut pro se diceret, contenderetque non aequum esse, submo- veri a bello mulierem quae tantum conferret auxilii, quaeque tantum regnum diu sola gubernasset atque longo rerum usu magnas res didicisset tractare. Haec igitur sententia vicit, coactisque copiis ambo navigarunt Samum, inde Athenas, ubi aliquamdiu genio indulserunt. (Plut. *Anton.* 56. cf. 58. Drumannus, *Gesch. Roms* I. 469). Plancus autem et M. Titius, Planci consobrinus, a Cleopatra sugillati, quod sibi adversati fuissent, eiusque probris exasperati, praesagientes praeterea, Antonium in certamine cum Octaviano inferiorem fore, profugerunt ad Caesarem, exeunte, ut videtur, a. u. 721. Periculis obviam ire et in fortuna adversa fidum se praestare, id non erat Planci. Iniquius tamen eum, quum ad Caesarem transisset, „morbo proditorem fuisse, in omnibus et in omnia venalem", scribit Velleius II. 83.

Vitio ei verti non potest, quod, suis consiliis ab

Antonio spretis, e naufragio se eripere conatus sit. Quum vero Romam advenisset cum Titio, vilem proditorem se praestitit, testamentum Antonii detegens Octaviano, contentorum conscius. Tabulae depositae erant apud Vestales, quae poscenti Caesari eas tradere dene- garunt; si accipere vellet, ipse veniret. Ille ergo pro- fectus tabulas accepit, quae in senatu recitatae ansam dederunt belli Actiaci, quo Antonius et Cleopatra suc- cubuerunt. (Cf. DIO L. 5-16. PLUT. *Anton.* 74-80. ZONAR. X. 30. OROS. VI. 19. LIV. *Epit.* 133. FLOR. IV. 11. 9-11. EUTROP. VII. 7. SUET. *Octav.* 17. VELL. II. 87.).

Octavianus Planco gratiam referens eorum quae sibi prodidisset, ei ignovit. VELLEIUS Plancum postea victo- ris clementiam pro sua virtute interpretatum esse scri- bit, dictitantem, quae antea fecisset, rapinas ex provin- actas aliaque, probata esse a Caesare. Idem praeterea l. l. auctor est, Coponium gravissimum virum, praeto- rium, quum multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu (probabiliter quum testamentum recitaretur) obiiceret, his verbis eius perfidiam perstrinxisse: „Multa mehercules fecit Antonius pridie quam tu illum relin- queres.”

CAPUT IV.

L. Munatius Plancus, Octaviani Caesaris fautor.

Post varia admodum vitae fata Planco concessum est Romae magis otio se dare. Aulæ, non armis natura idoneus, Octaviano mox adulari coepit, cui a. u. 727 Augusti cognomen assumendum censuit, quibusdam censentibus, Romulum eum appellandum, quasi alterum urbis conditorem. Planci tamen sententia obtinuit, unde non tantum novum, sed etiam honorificentius cognomen Caesari inditum. Suet. *Oct. c. 7.* Cf. Dio LIII. 16. Liv. *Epit.* 134. Ovid. *Fast.* I, 590. Orosius VI, 20. Censorinus *de die nat.* 21, 22. De die, quo hoc nomen sibi sumserit Octavianus, variant antiquorum scriptorum testimonia. Kalendar. Praenest. in *Fastis Verriani*. habet: „a. d. XVII. Kal. Febr.” (Orell. *Corp. Inscr.* II. p. 382.) Censorinus *de Die nat.* c. 21: „a. d. XVI. Kal. Febr.” Apud Ovidium *Fast.* I. 587-590 legimus: „Idibus Januar.” Orosius VI, 20: „a. d. VIII Idus Ian. a. u. 725” id factum scribit, diem et annum tri-

umphi Dalmatici cum cognominis accepti die et anno confundens. Vid. CASSIODORUS ad h. a. DIO LIII, 16. MONUMENTUM ANCYRANUM Graece in GERHARDI *Archaeol. Ztg.* 1843. T. I, c. 2, p. 19-23. IDELER *Handbuch der Chronologie*, I. p. 153 sqq. II, 172 sqq. FRISCHERUS *Röm. Zeitt.* p. 379. CHISHULL *Antiqu. Asiat.* p. 176.

Planci adulatio severe aequae ac vere notatur a SENECA in *Nat. Quaest.* praef. lib. IV: „Plancus, artifex adulationis maximus ante Vitellium (cf. LIPSIUS ad *Tacit. Ann.* VI, 32), aiebat, non esse occulte nec ex dissimulato blandiendum. Perit, inquit, procari, si latet. Plurimum adulator, quum deprehensus est, proficit: plus etiam nunc, si obiurgatus est, si erubuit.” Cognominis accepti ut refereret gratiam ei Augustus, quum a. u. 732 censorem perpetuum creari eum vellet populus Romanus, invidiam eius honoris vitans, L. Munatium Plancum et Paulum Aemilium L. F. M. N. Lepidum censores creavit. (DIO LIV, 2. VELL. II, 95, 3. SUET. *Claud.* 16. VAL. MAX. VI, 8, 5. PLIN. *Hist. Nat.* XIII, 3, 5¹). Inscriptio Caietana habet „censor.”) Qui censores postremi ambo ex privatis fuerunt (SUET. *Claud.* 16.), quod statim iis ostento significatum esse tradit DIO l. l. Primo enim magistratus die tribunal, quum aliquid ex officio acturi id conscenderent, corrui. Augustus vero, quamquam illis censura erat mandata, multa

1) SCHOEPLINUS *Alsat. illustr.* II, 54. e loco Plinii falso efficit, Plancum bis censorem fuisse. Verba PLINII sunt „*Plautius, L. Planci bis consulis censorisque frater;*” in quibus „bis” ad „consulis” tantum referendum est. — De Paulo censore late disputat PERIZONIUS *Animadv. Hist.* c. 3. p. 121, sqq.

quae eorum essent officii, ipse egit. (DIO l. l.) Censurae igitur non nisi umbra supererat; unde etiam explicandum est quod narratur L. Domitius Ahenobarbus aedilis, homo arrogans, immitis, censorem Plancum via sibi decedere coëgisse (SUET. *Nero* 4.). VELLEIUS tamen Planci censoris dedecus supra modum exaggerat. Etsi enim concedamus „vitam censoriam Planco defuisse,” tamen (II, 95, 3) „Plancum nihil obiicere potuisse adolescentibus, aut obiicientes audire, quod non agnosceret senex”, id Velleio assentiri non ausim. (Cf. DRUMANNUS *Gesch. Roms*, I, 375, 470. IV, 211. RUHNKEANIUS ad VELL. PAT. l. l. p. 386 ibique BOECLERUS).

Fuerunt permulti qui putarent L. Munatium Plancum etiam IIIvirum monetalem fuisse, quod effecerunt e denario in quo legitur *ob cives servatos*, intra coronam civicam duosque lauri ramos, ex aversa parte *L. Munati. L. F. Plancus IIIvir A. A. A. F. F.* in area *S. C.*

Denarius ille cusus est ante a. u. 710 vel post a. u. 734. Constat enim a. u. 709 exeunte pro IIIviris creatos esse IVviros. (DIO LIV, 26. SUET. *Caes.* c. 76. ECKHEL. *Doctr. num.* V, 62. Cf. VAILLANTIUS *Iul.* c. 29, 35. MORELL. *thes. Caes.* tab. III, 29, 30. IX, 7 sqq.); postea vero Augustus pristinum numerum revocavit, ut videtur, a. u. 734; quo anno IIIviri A. A. A. F. F. in denariis occurrunt. Praeterea Plancus adolescens ad Caesarem se contulit, quem deinde assidue comitatus esse videtur usque ad a. u. 709. Eo autem anno praefectus urbis fuit nec IIIvir monetalis fuisse potest. Postea vero maximis honoribus functum hunc magistratum minorem eum gessisse non est verisimile. In denario igitur filium significari contendo, quem a minori hoc magistratu

exorsum ad summos honores adscendisse probabile est. Verum ne vel sic quidem omnis difficultas sublata est. Quid enim sibi vult corona illa civica? Si illa spectaret ad patrem IIIviri monetalis, nomen eius in denario exstaret. Fieri igitur potest, ut in Augusti semper victoris civiumque conservatoris honorem denarius ille cusus sit; modo ne pro adulterino sit habendus. Mirum enim est nomen Augusti in eo omitti; quod tamen minus offendit in denario, si ad Augustum spectat, quam si ad hominem privatum est referendus, praesertim quum literae *S. C.* in eo adsint. VAILLANT. *Nummi fam. Rom.* II. p. 152, c. 5. Cf. RASCHE *lex. rei numm.* III. p. 953. c. 11. ECKHEL. T. V. p. 258. GESSNERUS *Imp. Tb.* p. 20. c. 19. GOLTZIUS p. 61. c. 36. GUSSENE V. p. 178.

Alium denarium habet RASCHE, p. 954, c. 20, in quo legitur in antica *Augustus Tribunic. Potest.* in corona quercea, in postica *L. Munacius L. F. Plancus IIIvir A. A. A. F. F.* in area *S. C.* Denarius hic a Planci filio in memoriam tribuniciae potestatis perpetuae, Augusto a. u. 731 mandatae, cusus videtur. Num sincerus sit dubitari potest. Mirandum enim *Munacium* per *c* scribi, quod nunquam in illo nomine obtinet. IIvir ille, qui nominatur in denario (RASCHE T. III. p. 954, c. 21), item filius esse videtur.

In inscriptione Caietana legimus: „Aedem Saturni fecit de Manub(iis)” (ex Gallia aut Asia) Cf. ORELLIUS c. 590, 591. Quod confirmatur a SÜETONIO *Oct. Aug.* 29, qui simul docet Augustum hortari solitum, ut pro sua quisque facultate monumentis vel novis condendis vel antiquis reficiendis urbem adornaret. Sic ab Asinio Pol-

lione atrium Libertatis, a L. Cornificio templum Dianae exstructa sunt. ORELLIUS et alii aedem dedicatam putant a. u. 737; eo ducti fortasse auctoritate DIONIS LIV, 18., qui Augustum hoc anno iis qui triumpharent mandasse scribit, ut in rerum a se gestarum memoriam aliquod monumentum e manubiis exstruerent. Plancus vero eo tempore non triumphavit, ideoque, ubi alii testes desunt, quo anno dedicatio facta sit ignoramus. Templum illud postea a Septimio Severo instauratum est. (OSANN *Sylloge inscr. sugli antichi edifizj dalla chiesa di S. Martina* p. 24), eiusque vestigia adhuc supersunt. Vir enim illustr. BUNSEN (*Beschr. der stad Rom.* III, 40 sqq.) magna cum probabilitate contendit, trium columnarum Corinthiarum reliquias, quibus temporum iniuria hucusque pepercit, sitas in vicinia loci illius, ubi templum Concordiae stetit, ad illud Saturni templum referendas esse. Cf. BEKKERUS *Handb. der Röm. Alt.* I, 316 sqq. DONATUS in *Thes. Graev.* III, p. 609. MACROBIUS I, 8. PLINIUS XV, 18.

PLINIUS *Hist. Nat.* XIII, 5, Plancum bis consulem fuisse auctor est. Sunt qui putent alterum consulatum ab eo a. u. 719 gestum esse, in his TEUFFELIUS (PAULY *Real. Encycl.* l. l.); alii rem omiserunt, ut DRUMANNUS. FISCHERUS denique *Röm. Zeitt.* pag. 355 et BROTTIERUS ad PLINII l. l. eum a. u. 718, hoc magistratu functum esse contendunt, quo anno L. Gellium Poplicolam abdicasse se magistratu in eiusque locum alium suffectum esse docent fragmenta Capitolina. In his vero suffecti consulis nomen non exstat. Omnes vero antiqui scriptores praeter PLINIUM semel tantum consulatum gessisse Plancum memoriae prodiderunt, cum

quorum testimonio congruit monumentum Caietanum, in quo *Consul*, non vero *Consul II* legitur. Praeterea Plancus a. u. 718 et 719 in Asia apud Antonium degisse videtur. Quibus de causis probabile arbitror, a PLINIO Plancum nostrum cum filio eiusdem nominis, qui a. u. 766 consulatum gessit, permutatum esse. Nuper in eundem errorem incidisse video, virum doct. BEUCHOT, *Biographie universelle ancienne et moderne*, T. XXXV. s. v.

Haec sunt, quae de Planci rebus gestis memoriae sunt prodita. Praeterea nonnulla etiam memorantur, quae magis ad eius vitam privatam spectant; e quibus non meliorem de Planco sententiam ferre licet quam ex iis quae publice egit. Narrat MACROBIUS *Saturn.* lib. II. c. 2, §. 6, Plancum in Maevia Galla, muliere ceteroquin ignota, male audivisse. Qua de causa quum in iudicio molestum testem destruere vellet interrogaretque, quia sutorem sciebat, quo artificio se tueretur, sutor urbane respondit: *Gallam subigo*, tecte ei adulterium exprobrans. Vid. PLINIUS *Hist. Nat.* XVI, 6, 1, 9. TERTULLIANUS *ad Nat.* II, 11. AUGUSTINUS *de civit. Dei* VI, 9. SUETONIUS *Caes.* 49. TURNEBUS *Advers.* XVIII, 4.

PLINIUS in *Hist. Nat.* praefatione auctor est, Asinium Pollionem adversus Plancum orationes paravisse, quae ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset. Quod quum audivisset Plancus, cum mortuis non nisi larvas luctari dixit. Quo dicto sic repercussit Asinii conatus, ut nihil impudentius iudicaretur apud eruditos. Ex hac PLINII narratione, Plancum male quod ad vitae acta attinet, bene quod ad

oratoriam facultatem, audivisse manifesto apparet. (Cf. PLINII MINORIS *Epist.* IX, 1. THORBECKE *de Asinio Pollione*, p. 78. DRUMANN, *Gesch. Roms.* II, 12, animadv. 79.)

Posteriore aetatis tempore, vitae parum honeste actae conscientia cruciatus, maerore ac taedio laborasse videtur et fortasse de secessu in Graeciam cogitasse, quod colligo ex HORATII *Carm.* lib. I, Od. 7, quae ei inscripta est 1):

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen, cet.

Unde vero Planci et Horatii familiaritas sit repetenda quaeri potest. SANADONUS, BENTLEII strenuus ille propugnator, in libro cui titulus: *Les poésies d'Horace disposées suivant l'ordre chronologique etc.* Paris 1728, utrumque cum Bruto amicitiae vinculo iunctum fuisse contendit. Verum Planci collega fuit Decimus Brutus; at Horatio amicissimus Marcus Brutus (*Epist.* I, 47. *Sat.* I, 6, 47. SÜET. *Vita Horatii.* DIO XLVII, 20). Quare hac de re nihil asseverare licet. At Asinius Pollio, Horatii amicus, prioribus certe temporibus, Planco quoque amico usus esse videtur. Ab hoc igitur Plancum, eo tempore, quo odium inter ambos nondum exarserat, in Horatii familiaritatem adductum esse non improbable est. Haec familiaritas inde quoque patet quod in *Carm.* lib. III, Od. 14, iuvenilem suam aetatem designat Horatius verbis *consule Planco*. Poëta igitur dissuadet Planco, ne in Graeciam secedat, fortasse nutum aliquem Octaviani secutus, qui nollet virum tam illus-

1) Vulgo: „ad L. Munatium Plancum consularem.” „Ad Numatium Plancum” GR. SANGALLENS. (corr. „Munatium” et ante v. 15. „Ad Plancum”). In Turicensi legi nequit. Cf. ORELL. I, p. 48.

illustrem in exilium pulsum videri, cum Tiburi tranquille et suaviter degere ei liceret; simul autem id agit animi aegrimoniam, qua conflictabatur consoletur. Haec enim sunt poetæ verba:

Albus ut obscuro deterget nubila coelo
Saepe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance¹⁾, mero: seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. — — —

Quo anno haec oda confecta sit, de eo interpretes litigant. OBBARIUS scriptam putat a. u. 714, post captam Perusiam. Verum eo quidem tempore, quo in publicis negotiis et curis occupatus erat, non tam moestitiae erat locus quam postea, quum curarum vacuus cum Octaviano degebat. Verbis *seu te fulgentia signis castra tenent* Horatius, militarem maxime hominem cum fuisse prudenter et honeste significat. ORELLIUS et BAITERUS carmen a. u. 722 vel paulo post scriptum esse contendunt; cuius tamen sententiae rationes non afferunt. Cum his faciunt KIRCHNERUS, PASSOVIUS et TEUFFELIUS (in PAULY *Real-Encycl.* V, 208). Rectius vero FURSTENAVIUS odae confectae tempus statuere mihi videtur intra annos u. 729—732. Quod ideo probabile duco, quia eo tempore Plancum, fortasse ne propter taedium patriam relinqueret, Octavianus censura ornavit.

His missis, transeamus ad duos PORPHYRIONIS locos,

1) Codex Franeker: „plange,” altera manus „Plance.”

a DRUMANNO, TEUFFELIO, ceteris omissos. HORATII scholiasta ad *Satir.* lib. II, 2, 49, hos versiculos affert:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Ipsis¹⁾ duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit septem.
Ciconiarum populus ultus est mortem.

In hoc epigrammate scripto in Sempronium Rufum praetorium, qui repulsam tulerat in petitione consulatus, quum ciconiarum pullos cibi causa primus occidisset, obiter notantur L. Munatius Plancus et frater eius L. Plautius Plancus; Lucius propter gulae delicias, quibus apud Antonium et Cleopatram, fortasse item postea, indulgit; alter propter luxuriam, quam supra iam tetigimus (Cf. SALMASIUS ad *Tertull. de Pall.* p. 461 et 462 et PETR. AVELLAN. in *locis veter. restit.* c. 4. *Anthologia veter. Lat. epigr. et poëm.* ed. BURMANN. T. I. p. 305).

Ad HORATII *Sat.* lib. II, 1, 105, PORPHYRIO habet: „Tanais spado fuit, ut quidam aiunt, Maecenatis libertus, ut nonnulli, L. Munatii, ut nonnulli, Planci.” Bene correxit RUHNKENIUS ad VELL. II, 63: „ut nonnulli, L. Munatii Planci.” Cf. disputationis nostrae pag. 2, in calce.

Iam omnibus Ciceronis aliorumque scriptorum locis excussis, restat ut monumenta, in quibus de Planco sermo est, producamus eorumque fidem examinemus. Et primum quidem nobis agendum est de Mausoleo, quod

1) PORPHYRIO habet: *Hic est*; item SCHOLIAST. CRUQU. Emendavit HEINSIUS: *Quippe est* vel *Ipse is* aut *Ipse*. Item SCRIVERIUS. BURMANNUS *Ipse est*. Legendum coniicio *Ipsis duobus*, quod emphasis addit nomini *Plancis*.

Plancus sibi extruxisse videtur in altissimo Caietani promontorii cacumine, cuius tota moles, teste GRUTERO *Corp. inscr.* p. 439, 8, constat duobus murorum solidorum circulis: quorum exterior ex ingenti saxo quadrato compactus habet in diametro pedes LXXVIII, unde quae totius sepulcri latitudo fuerit, colligere licet. Altitudo autem continetur XXVII saxorum sesquipedalium ordinibus, quibus est imposita superior corona, murorum pinnis tanquam in radios efformata et hostilium armorum spoliis ornata. Intra ostium ingressis est area VII circiter pedes lata, quam circumdat circulus muri interior, constructus opere lateritio spisso altaque testudine iunctus exteriori. Hic autem interior, altissima clausus concameratione, formam rotundi templi in medio Mausoleo ostendit cum IV statuarum loculis. Parietes interiores omnes tectorio marmorato tam expoliti sunt tantoque candore renitentes, ut vitri splendorem habere niveisque repercussibus lucis radios duplicare videantur. Caietani hodie monumentum illud vocant *Torre d'Orlando* (turrim Rolandi). Effigies eius exstat in opere, cui titulus *Sepulcri di Santi Bartoli c. 87 et 88*, in *Tom. XII Thesauri Antiq. Gr.* GRONOVII.

Supra ostium sepulcri L. Planci, characteribus pulcherrimis inscripta leguntur haec verba:

L. MUNAT. L. F. L. N. L. PRON.

PLANCUS COS. CENS¹). IMP. ITER. VII VIR.

EPUL. TRIUMPH. EX RAETIS. AEDEM SATURNI.

FECIT DE MANUB²). AGROS DIVISIT IN ITALIA

1) Male GRUTERUS „Acens.” Cf. ORELL. c. 590.

2) Male idem „Manibis.” Cf. ORELL. l. l.

BENEVENTI. IN GALLIA COLONIAS DEDUXIT

I.UGDUNUM ET RAURICAM.

MAFFEIUS in *Arte crit. lapid.* p. 339 sine idonea causa celeberrimam hanc inscriptionem suspectam habuit; a cuius tumultuaria et iniqua censura iam permultos alios lapides vindicarunt ZACHARIA DEL SIGNORE, MARINUS et VERMIGLIOLUS. Huius inscriptionis patrocini-um merito suscepit ORELIUS, experientia edoctus, id quod iam animadvertit LUPUS in *Epitaphio S. Severae*, p. 19. „caute procedendum ubi de antiquis monumentis agitur; facile enim esse suppositionis notam appingere documentis, quae tamen falsa non sunt.” Planci mu-nera in lapide memorantur non temporum, quo gesta sunt, ordine, sed pro eorum dignitate; id quod non semper observatum est et saepius errorum ansam dedit. Quorum unum hoc memorare sufficiat, quod DE VITA in *Thesauro antiqu. Benev.* I. p. 35 ex inscriptione col-legendum putat, agros Beneventi a Planco divisos esse ante quam coloniae in Galliam essent deductae. Cf. VIS-CONTI *Iconographie Romaine*, T. I, p. 216.

Altera inscriptio exstat apud ORELIUM n. 591 haecce.

L. PLANCUS

L. F. COS.

IMP. ITER.

DE MANIB.

Lamina aenea, quae haec verba continet, apud CAYLUM *Recueil* cet. T. III, p. 251 exhibita, BORGHESIO (*Giorn. Arcad.* 1825, p. 363.) videtur a falsario confecta; defendit eam ORELIUS.

Duo praeterea lapides memorantur, qui ad Planci

consulatum spectant. Alter Romae repertus habet a dextra mulierem, a sinistra parte virum, qui manus iungunt, supra caput Hymenaei utrimque faces praetendentis inscripta leguntur haec verba:

Q. FURFIANO C. F.		FURFIANAE FLO
NIGRINO		RAE. CONIUGI
PROC. FABIORUM		SANCTISSIMAE
VIX ANN. XXIV. ME. VII.		VIX ANN. XXIII. M. III.
SEX. FURFANIUS ¹⁾		TYRANNUS
HAEC FUNER(A) ET AR(AM) FECIT. III IDUS APRIL.		
M. AEMILIO II ET MUNATIO PLANCO COS.		

Hunc titulum sepulcralem e PIGHII aerario hausit GRUTERUS p. 1115, 2. Lapis admodum suspectus videtur ORELLIO *Inscr. select.* I. 60. Cf. MAFFEI *Ars crit. lapid.* p. 95. A stilo vero titulorum sepulcralium hic minime recedit. In compendio *Cos.* sinceritatis indicium inest; coniunctio *et* inter consules abundare videtur. Si vero concedamus monumentum accurate descriptum esse, quod non omni dubitatione caret, quis neget homines, quo tempore linguae puritas paullatim corrumpi incipiebat, alio sermone uti potuisse in monumentis, alio in vitae consuetudine. Accedit quod probabile est, multa quae a titulorum auctoribus recte scripta essent, a lapicidis fuisse depravata. Quibus de causis lapidi fidem non negandam censeo.

Altera inscriptio, in qua Planco consul memoratur, reperta in via Appia, haec habet:

1) Fortasse legendum est: *Furfianus*:

L. FULVIUS L. F. FROM. FRONTO
L. FULVIUS L. F. ERASTUS
FULVIA. LUPERCA. MATER.
D. FULVIUS. D. F. FROM. MODESTUS
T. FECERUNT. V. NON. APRIL.
M. AEMILIO LEPIDO II L. MUNATIO PLANCO
C o S.

Inscriptionem hanc e FULVIO URSINO in librum suum transtulit GRUTERUS p. 1042. c. 7. Quid in hâc inscriptione litera *T* sibi velit non video. *Templum* id sane non significat. Quis enim uno die (V. Non. April.) templum fecerit? Fortasse legendum est *F(unera)*.

Postremo a MURATORIO, in *Nov. Thes. vet. inscr.* p. 479, 9, memoratur lapis Romae repertus, in quo hoc legitur:

AREA
L. MUNATII PLANCI L.
SOSTRATI.

Planus ille de quo hic sermo est, iudice TEUFFELIO (PAULY *Real-Encycl. in gente Munatia*), habendus est filius eius, de quo in hac commentatione egimus; non tamen video quidni pater intelligi possit. Nullum enim temporis indicium adest; quando vixerit Sostratus, ignoramus. Literam *L* significare *liberti*, coque lapide Sostratum fundum suum terminasse probabile est. Cf. ORELL. 4325. Nomen et praenomen liberti omissa sunt; quod semper fieri in inscriptionibus, quando patroni nomen praecedit, recte docet HAGENBACHIUS *Epist. epigr.* p. 92. Lapidum igitur nihil inest, cur fides ei sit deneganda.

Et sic quidem omnia literarum monumentorumque indicia, quae ad Planci res gestas illustrandas alicuius sint momenti, excussimus; reliquum est, ut de studiis eius, deque iis quae tamquam orator et declamator praestiterit, commemoremus.

CAPUT V.

Plancus orator et declamator.

Cicero qui, ut in hac disputatione passim vidimus, Plancum inde ab ineunte pueritia summa benevolentia prosecutus est, multum contulisse videtur ad praeclaras ingenii dotes familiaris sui excolendas. Non enim familiaritatis tantum, sed studiorum etiam vinculo Plancus Ciceroni iunctus fuit, a quo mature iam philosophiae Stoicae amore incensus est, ut apparet e CICERONIS *Epist. ad Fam.* XIII, 29: „Accedebat non mediocri vinculum quum studiorum, quod ipsum per se grave, tum eorum studiorum earumque artium, quae per se eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devinciunt;” item ex epistola X, 3, 4, ubi Cicero: „Haec, inquit, amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quam quo te arbitrer monitis et praeceptis egere. Sciebam enim *ex iisdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram.*” Quid, Cicerone studiorum duce, profecerit ostendunt literae, tum quas ad Ciceronem, tum quas ad senatum dedit, quae verborum sententiarumque gravitate sunt insignes. Ipse Cicero honorifice de iis

loquitur velut *Epist.* X, 16, 1. 19, 1. Recentiorum quoque temporum viri eruditi et idonei praeae elegantiae arbitri, epistolas illas summis laudibus extollunt. IOS. SCALIGER *Animadv.* ad EUSEBII *Chronicon* L. II, Ol. 188 sic iudicat: „iis (epistolis) ego iudico nihil absolutius esse, nihil castius, elegantius, rotundius, sine ulla putiditate, κακωζήλια.“ RUHNKENIUS ad VELL. PATERC. II, 63: „quam pravus, inquit, Planci animus, tam rectum et elegans erat ingenium.“ Cf. NIEBUHRIUS, *Vorträge über Röm. Gesch.* ed. ISLER. T. III. p. 106 ¹⁾). Quae Asinii Pollionis, insignis et sublimis illius scriptorum censoris, de Planco fuerit sententia, patet e GELLI *Noct. Att.* X, 26, ubi Asinius de dictione, qua C. Salustius Crispus in primo *Historiarum* libro usus erat, ad Plancum scripsisse narratur. Alium enim Plancum l. l. significari non probabile est. (Cf. SUTTONIUS *de illustr. gramm.* c. 10, 15. THORBECKE, *de Asinio Pollione* p. 131.).

Ciceronem Planco artis oratoriae quoque magistrum existisse probabile arbitror. Cicero enim iuvenes discendi cupidos circum se congregabat, eosque non modo praecipis, sed exemplo etiam, quum ipse declamaret, erudiebat, quem morem ad extremum usque vitae tempus retinuit, erudiendo Dolabellam, Hirtium, alios vergentis ad interitum libertatis solatium sibi quaerens (Cf. *Epist. ad Fam.* IX, 16, 18. SENECA *Controv.* I. praef. QUINTIL. *Instit. Orat.* VIII, 3, 54.).

Plancum quidem ad had exercitationes admissum fuisse etsi admodum probabile putamus, disertis tamen verbis

¹⁾ „Ein ausgezeichnet geistreicher Mann von dem man nicht gering sprechen darf.“

non proditum est; quare nimis asseveranter HIERONYMUS in versione latina EUSEBII *Chronici* p. 155: Munatius Plancus, inquit, *Ciceronis discipulus*, orator habetur insignis." (Cf. SCALIGER, *Animadv. ad EUSEBII Chronicon*, L. II. Ol. 188. ELLENDT. in edit. CICERONIS *Bruti* pag. CXXVI. HIERONYMUS illud e SUETONIO *de clar. rhet.* 6, effecisse videtur, cuius verba infra proferenda Plancum Ciceronis discipulum fuisse credere nos non cogunt. Plancus orator nonnihil laudis postea saltem assecutus videtur; eloquentiam eius summam fuisse ait CICERO *ad Fam.* X, 16, 3: „summa es eloquentia, maxima orbitate virorum talium." Si adulationi non indulget Cicero his verbis, dolendum est, Plancum praeter famam nihil posteritati transmisisse. Causarum enim, quas egerit, ne mentio quidem exstat, nec probabile est, eum iam Ciceronis aetate ut oratorem magno opere inclaruisse; alioquin hic in *Bruto* eum non omisisset. Apud QUINTILIANUM etiam eius nomen inter claros oratores frustra quaerimus. ASCONIUS tamen *in orat. Milon.* p. 33. ed. ORELL. T. Munatium Plancum Bursam fratrem, vocat, *L. Planci, oratoris*, ex quo epitheto Lucium, etsi causis illustribus actis non inclaruerit, posterioribus vitae temporibus eloquentiae laude apud aequalès floruisse efficiendum videtur. Cf. SUETONIUS *de claris rhetor.* cap. 6. PLINIUS *Hist. Nat.* VII, 10, unde hausit SOLINUS cap. 1. pag. 8. WESTERMANN. *Gesch. der Röm. Beredsamkeit*, p. 212.

Quo tempore Plancus florebat, rhetorum scholae aperiebantur, in quibus declamandi exercitatio non, ut antea, ad veram actionem praeparandam adhibebatur, sed tamquam proprium dicendi genus, quod in

germanae eloquentiae locum substitutum est. Rhetores illi plerique erant homines libertinae conditionis, clientela gaudentes viri alicuius dignitate conspicui, cuius familiaritate et patrocinio uterentur, quin etiam nonnunquam in nobilium contubernium recipiebantur. Cuius moris plura exempla occurrunt; ita Timagenes in Asini Pollionis contubernio consenuit. (SENECA *de ira* III, 23. THORBECKE l. l. p. 97.) Plancus quoque rhetores habuit contubernales, quorum unus nominatur a SÜETONIO *de clar. rhet.* cap. 6, C. Albutius Silus Novariensis, qui aedilitate in patria functus, aliquando quum ius diceret, ab iis contra quos pronuntiabat pedibus e tribunali detractus est; quod indigne ferens Romam se contulit, ubi a Planco benigne exceptus est, apud quem aliquamdiu mansit, donec ipse clarus rhetor propria instituit auditoria, in quibus doceret et declamaret. Vid. SÜETONIUS l. l. (Cf. de eo QUINTILIANUS *Instit. Orat.* II, 15, 36. III, 3, 4. 6, 61; WESTERMANN. *Gesch. der Röm. Beredsamkeit*, p. 294, 296. BAEHR in PAULY *Real-Encyclop.* T. I. p. 297.). Ibidem SÜETONIUS narrat Planco morem fuisse, prius aliquem, qui (ante) diceret, excitare; suscepit eas partes Albutius, atque ita implevit, ut Planco silentium imponeret non audenti in comparisonem se demittere. Ex his manifestum est, Plancum rhetorum modo declamasse. Cuius rei alterum argumentum est in SENECÆ libro I *Controv.* cap. 8, ubi inter rhetores, Porcium Latronem, Albutium Silum, Asprenatem, alios idem declamans inducitur.

M. Annaeum Senecam, ut notum est, rogaverunt filii, ut de declamatoribus, quos nosset, iudicium proderet, simulque dicta ab illis, quoad in memoriam revocare

posset, scripto mandaret. Controversiae vel pueriles illae vel portentosae, quas confecit, argumento sunt, rhetores eo tempore in declamationibus a verisimilitudine, cui in antiquioribus declamandi generibus locus fuerat, magnopere recessisse. Eo igitur quem laudavimus loco, agitur de lege: „qui ter fortiter fecerit, militia vacet.” Thema est: „ter pater fortem in acie, quarto volentem exire retinet, nolentem abdicat.” Albutius Silus, Asprenas, alii sententiam aperiunt. Latro vehementer egit a parte patris et adiecit: „abdicato non permittam exire, iniiciam manus, tenebo: novissime ante limen exeuntis cadaver hoc sternam; ut ad hostem pervenias, patrem calca.” Putabat Plancus, „summus declamator,” ut ait SENECA, Latronis hunc sensum, a Latrone fortius dictum, a Lesboele Graeco tenerius, qui dixit: *κείσομαι ὡς τεῖχος, τὸν τάφρον ὑπερβῆθι καὶ πατέρα.*

Fieri potuit, ut declamationem de illo themate memoriter teneret Seneca. Quum vero saepius easdem controversias variis modis tractarent rhetores, Senecam subinde ex iis, quae in diversis conventibus dicta essent unam confecisse declamationem probabile est. Itaque declamationem revera sic habitam esse, ut Seneca memoriae prodidit, dubitari potest. Verum etiamsi verbis, quae a Planco dicta narrantur, fides sit habenda, talia illa non sunt quae multum lucis afferant ad eius declamandi artem clarius cognoscendum. Ex eo vero quod Seneca Planci nomini subiungit „summus declamator,” ipsum et fortasse aequales magnifice de eo sensisse luculenter apparet. Lesboeles ille, qui in hac declamatione nominatur, aliunde non cognitus est.

CAPUT VI.

*De eorum, qui de Planco scripserunt, in primis
VELLEII auctoritate.*

Omniū, quorum testimoniis in hac commentatione conficienda usi sumus, scriptorum, maximam auctoritatem Ciceroni tribuendam esse, extra dubium est. Huius ex epistolis vidimus, Plancum a Cicerone identidem ad libertatem tuendam incitatum, quum diu secum deliberrasset quarum partium esset futurus, tandem ad reipublicae studium adductum esse, non tam ut publico commodo quam ut suae ambitioni satisfaceret, neve consularis spes sibi evanesceret; unde etiam factum ut non nisi summorum praemiorum spe a Cicerone ad partes suas pertrahi potuerit; porro cum semper id egisse ut, omni culpa in alios translata, quaecunque sibi nocere possent, removeret; denique nihil ab eo actum esse, nisi quod magna ipsi praemia esset allaturum. Cum his notis, quas ex epistolis tam a Cicerone quam ab ipso Planco scriptis petivimus, congruunt quae a posterioribus scriptoribus, VELLEIO, PLUTARCHO, SUETO-

NIO, APPIANO, DIONE CASSIO, ceteris de eo memoriae sunt prodita. Illorum vero fidem infringere conatus est GRÄTERUS in *versione Epist. Cic.* Tom. XII, p. 246, qui contendit, scriptores illos Planci gestorum memoriam maxima pro parte ex Octaviani Caesaris commentariis hausisse; Plancum autem ab Octaviano odio habitum esse propterea, quod Dec. Brutum non statim deseruisset, verum Pollione conciliatore demum ad Antonium transisset¹⁾, ideoque Caesarem in commentariis ignominiose de eo mentionem fecisse. Quae sententia pluribus nominibus videtur reprehendenda. Istiusmodi enim odii vestigia in commentariis exstitisse non est credibile, has potissimum ob causas. Primum inimicitiae quae inter Octavianum et Plancum fuisset quam GRÄTERUS affert causam, ea nulla nititur auctoritate neque omnino vera esse videtur. Aliquanto demum postea quo tempore bellum Perusinum exarsit, in quo Plancus ab Antonii partibus stetit, odio cum Octaviano locus fuit. Post vero quam ab Antonio Plancus una cum Titio defecit,

1) Verba Velleiana: „Plancus, *diu*, quarum esset partium, secum luctatus,” sic explicat GRÄTERUS T. XII, 263: Plancus, ultimus reipublicae propugnator, quum omnia perdita cerneret demum ad Antonium transeundi consilium cepit. Verum tunc etiam secum luctatur, nec nisi Asinius Pollio magnam dedisset operam, ut cum ad Antonii partes pertraheret, Dec. Brutum reliquisset. VELLEIUS, me iudice, Plancum, dubitantem an benigne ab Antonio qui, ut in praecedentibus scripsimus, poenas ab eo petere cogitabat, exciperetur, vel quaenam agendi ratio sibi maxima afferret praemia spectantem, diu secum luctatum esse significat. Quicumque enim norit, quam iniquus iudex sit VELLEIUS in Planci rebus enarrandis, eum hoc quoque loco Planci dedecus exaggerasse facile concedet, quae sententia fulcitur verbis quae praecedunt: „Plancus dubia, id est sua, fide.”

ab Augusto benigne exceptus est, cui ille blandiens per adulationem nomen Augusti assumendum censuit, cuius rei in gratiam postea censura est ornatus. Augustus igitur cum Planco palam inimicitias exercuisse non videtur eo tempore quum commentarios suos conficeret, qui quidem post bellum cum Cantabris gestum publicati sunt, ut e fragmentis effecit WEICHERTIUS, (*Imperatoris Caesaris Augusti scriptorum reliquiae*, p. 200, 201, 202.). Idem Octavianum in commentariis illis omnia crimina ipsi obiecta refellere et male scelerateque gestorum memoriam si non prorsus obliterare, certe mitigare atque excusare studuisse demonstravit. Qua de causa non probabile est, illum quaecunque male gessisset oblivione delere cupientem caventemque ne quid commemoraret, quod sui culpandi ansam praeberet, ei viro, quo suadente cognomen Augusti accepisset, quem censurae honore ornasset, quemque in Graeciam secedere cogitantem retinuisse videtur, in commentariis suis maculam adpersisse.

Quum ceterorum qui de Planco retulerunt scriptorum aetates definire parum fructuosum, imò supervacuum foret, quumque ea quae in eorum testimoniis ponderandis sint attendenda iam in ipsa disputatione sparsim animadverterimus, de VELLEII fide in Planci rebus narrandis quid statuendum sit, accuratius inquirere operae pretium duco. Maledicere cupienti in Planci vita non deerat materies. Ille tamen tot locis tam acerbe eius nomini maculam inurit, ut plurimis doctis et magnae auctoritatis viris visus sit, non sine certa causa tam inique de illo iudicasse. Ita exempli gratia libri II. capite 83: „Plancus, dicit, non iudicio recta legendi neque amore reipublicae aut Caesaris, quippe haec sem-

per impugnabat, sed morbo proditor, cum fuisset humilissimus assentator reginae et infra servos cliens, cum Antonii librarius, cum obscenissimarum rerum et auctor et minister, cum in omnia et in omnibus venalis, cum caeruleatus et nudus caputque redimitus arundine et caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio, refrigeratus ab Antonio ob manifesta(rum) rapinarum indicia, transfugit ad Caesarem, rel." Aliis locis, ut II, 95, 3; 63, 3; 64, 1, acerrimis conviviis Plancum insectatur¹⁾. GRONOVIVS ad TACITI *Ann.* I, 12, putabat, VELLEIVM PATERCVLVM clientem fuisse Asinii Galli Salonini, qui filius fuit Asinii Pollionis (Cf. DRUMANNVS *Geschichte Roms* II, p. 12, 13, ACRO ad HORATHI *Carm.* II, 1. v. 16.), atque huius in gratiam illum et patris laudes et Planci, qui Pollionis, posterioribus certe vitae temporibus, inimicus fuisset, dedecora auxisse. Quam tamen Gronovii sententiam iure reprehendit RUHNKENIVS, non probabile esse contendens, Velleium, virum tum aliis summis honoribus, tum praetura functum, in clientelam Asinii Galli se dedisse (Cf. DRUMANNVS l. l.), neque ita stultum fuisse ut eiusdem Galli, Tiberio semper invidi (TACIT. *Ann.* I, 12. Cf. III, 36. IV, 71. VI, 23. DIO LVII, 2. LVIII, 3), amicitiam et praesidium magno cum capitis periculo sectaretur. Idem praeterea observat, Velleium multum esse in Asinii Pollionis, Messalae Corvini (II, 98), aliorum laudibus celebrandis, Asinii autem Galli, cuius cliens fuisset, ne mentionem quidem fecisse,

1) RUHNKENIVS VELLEIVM secutus ad II, 63 scribit: „Nihil illa aetas Planco vidit foedius ac perditias.”

quamquam ipse VELLEIUS libr. II. cap. 116, se amicorum suorum memoriae locum in historia quaesivisse ingenue fateatur. Quibus de causis RUHNKENIUS alio modo difficultatem expedire aggressus est. Putat enim Velleio cum Planci posteris, nominatim cum consulari Planco, quem LIPSIUS (ad TÁCIT. *Ann.* I, 39) magna cum probabilitate huius filium fuisse credit, aliquid simultatis intercessisse, eumque patre vituperando filio aegre facere voluisse. Huius sententiae WOLFIUS, BECKERUS, alii, patroni exstiterunt. Immerito: potius e proprio Velleianae dictionis colore et indole, quae magna pro parte ex eius institutione repetenda est, neque ulla alia ex causa explicandum videtur, quod hic scriptor Planci vitia et dedecora tam exaggeratis verbis descripserit. Suum iustumque rebus pretium statuere, verum et rectum a specie dignoscere non valet Velleius. Quaecumque quasi splendore oculos feriant arripit ac celebrat, speciosa pro veris sectans. In rerum causas inquirere neglexit, nec quo modo et consilio singula facta sint investigandum sibi duxit, quippe cui res parum aut nihil sint, personae omnia. Qui Velleii ingenium atque indolem primus acutius perspexit et dilucide exposuit, Sauppius, in *Museo Helvetico* a. 1837. I. 2. p. 133-180, plura huius sententiae collegit argumenta. Ex quo genere sunt ex. gr. quae VELLEIUS de Mithridate scribit (II, 18): „Ponticus rex, vir neque silendus neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal cet.” Vel, quae de M. Bruto et C. Cassio (II, 12): „Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus;

e quibus Brutum amicum habere mallet, inimicum magis timeres Cassium, rel." Ex hoc genere, ne plura addam, est etiam locus de Planco, quem supra exhibuimus (II, 83). Altera vero eiusdem capituli pars alius vitii exemplum continet, quod ex eadem illa iudicii levitate, qua personis unicum fere locum tribuit, repetendum est: nempe quod saepius historiae gentis Romanae immiscet narrationes cum singulorum hominum fortuna aut moribus coniunctas. Cuius rei argumento sunt quae scribit II, 86 de facto et dicto memorabili Asinii Pollionis; II, 62, de ambiguo Ciceronis dicto, alia (Cf. SAUPELIUS l.l.). Praeterea Velleius in omnibus modum excedere solet, quum res rhetorico orationis colore ornet et, omissa nativa elegantia ac simplicitate, exaggeret et verbis utatur veram rerum rationem ita excedentibus, ut saepius adulatoris vel obtrectatoris speciem prae se ferat, ubi his vitiiis locus esse vix potest. (Cf. SAUPELIUS *Mus. Helvet.* I, 2. p. 177.)

Denique sententias sectatur argutas, tales in primis quae artificiosa verborum oppositione delectarent lectores. Pauca huius rei exempla afferre liceat. Lib. II, c. 26, 2. haec legimus: „In qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus." II, 117, 2: „Varus Syriam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit." De Planco II. 83, 2: „Plancus in omnia et in omnibus venalis." et II, 63, 3, ubi Asinio Pollioni opponitur: „Plancus dubia, id est sua fide, diu quarum partium esset secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adiutor Dec. Bruti designati consulis, collegae sui, senatuique se literis venditans, mox eiusdem prodi-

tor — Asinius autem Pollio firmus proposito, et Iulianis partibus fidus, Pompeianis adversus; uterque rel.” (Cf. KRAUSIUS *Prolegom.* p. 37-47. MORGENSTERNIUS in *Commentat. critica de fide historica VELLEII*, apud KRAUSIUM *prolegom.* p. 105-144. JACOBSIUS in *praef.* p. XI-XXVI. BÄHRIUS in PAULY *Real-Encycl.* T. VI, P. II, pag. 2432 sq.)

Ex his facile colligi posse credo, Velleium ut in ceterorum, sic etiam in Planci, qui plurimas sane ad reprehendendum praeberet ansas, actis enarrandis et moribus describendis modum excessisse, indeque inscium potius quam consulto illius dedecora supra fidem auxisse.

CAPUT VII.

Planci iudicium.

Enarrata Planci, vita non supervacuum erit ea quae gesserit, habita temporum ratione, paucis comprehendere, ut iustum de eo feramus iudicium. Non multo ante quam natus est, erupit invidiosa contentio inter Marium et Sullam, quae Romanam rempublicam civili sanguine foedavit. Hinc civitas in contrarias factiones divisa. Favebant alii Cinnanis, alii Sullanis, neutrarum esse partium nemini concessum. Patrem Planci a Cinnae partibus stetisse non incredibile est. Plerique autem qui Mario Cinnaeve faverant, iidem deinceps Caesarem, illius generum, in quo multos Marios inesse Sulla dixerat (Suet. Caes. 1), studio et favore prosecuti sunt, ut qui id quod Cinna sibi proposuisset revera effecturus putaretur. Inde facile repetendum, Plancum, magistratibus minoribus gestis, ad Caesarem se contulisse, ut legati locum obtineret. Quem deinceps ita sibi devinxit, tantaque apud eum gratia et honore valuit, ut ad consulatum etiam gerendum una cum D. Bruto designatus

sit. Caesare interfecto, Plancus fautoris sui caedem oblivioni dandam censuit; fructu tamen dignitatis ab illo in se collatae privari se noluit. Quam celerrime in Galliam se confert, quasnam deinceps partes amplexurus esset secum deliberans. Dum in provincia degit, continenter ad libertatis studium instigatur a Cicerone, qui summis eum ornat laudibus, magnorumque praemiorum spe eo perducit, ut senatus plurimum tum valentis partes palam amplectatur. Antonio a senatu hosti iudicato obviam progressurus Plancus cum Bruto, collega designato, copias iungit, cui fidum se praestitit donec ille fortuna secunda usus est. Quum vero Bruto certamen periculosissimum cum Antonio esset ineundum, Plancus Antonio reconciliatur, quo effecit ut consulatus honore non privaretur. Mox vero civile bellum exarsit inter Antonium et Octavianum; in quo ne cuiusquam in odium incurreret, optimum duxit nihil alicuius momenti agere. Inclinaerat quidem in Antonii partes; sed quum in auxilio ferendo moraretur, Lucius Antonius interim Perusiam adversariis tradere cogitur: quo facto Plancus, deserto reliquo exercitu, ad Antonium profugit, a quo honoribus maximis ornatus est. Quum vero Octavianus bellum Antonio illaturus videretur, in quo inferiorem fore Antonium facile praesagiebat, Plancus ad Octavianum defecit cui arcana ab Antonio sibi credita aperuit. Ex eo tempore Octaviani adulator tranquillius vivere et dulci otio frui potuisset, sed male factorum conscientia cruciatus misere vitam finivit.

Ter igitur partes mutavit Plancus, unde parum constantem eum fuisse manifestum est. Difficillimum quidem erat, turbulentis illis temporibus, quid rectum et

aequum esset discernere et certam consiliorum actionumque quasi regulam sequi. Optio quippe facienda primum inter Caesarem et Pompeium, deinde inter illum et libertatis fautores (optimates), post inter triumviros et coniuratos, tandem inter ipsos triumviros. Atamen in tanta rerum vicissitudine fuerunt qui, quamquam partes mutarent, mores tamen servarent integros, qualis fuit, ne alios memorem, Asinius Pollio. Plancus vero ambitionis quo laborabat morbo indulgens, nil nisi quod profuturum sibi esset curavit et egit. Ita priorae vitae tempore Cicero ei exprobrat, quod temporibus nimis indulgeret, et postea non semel in eandem reprehensionem incurrit. Hinc quoque repetendum quod male factorum culpam in alios conferre solitus, suam inconstantiam ex aliena levitate pendere contendit (*ad Fam. X, 21*). Fortuna vero ei propitia fuit: dum alii naufragium patiebantur, ipse incolumis evasit. Nec mirum; nullas enim unquam partes ex animo propugnavit, nullis periculis se exposuit, sed temporibus tantum inserviens totum se ad fortunae nutum accommodavit; denique ut gratiam iniret eorum ad quos transiisset, vilem proditorem se praestitit.

Ita se gerendo non mirum si vitam sine laude actam inglorius finierit, eiusque nomen a posteris ignominia difamatum sit.

ERRATA.

Pag. 3.	pro <i>tedensa</i>	leg. <i>te densa</i>
" 11.	" <i>quondam</i>	" <i>quoddam</i>
" 13.	" <i>Planci</i>	" <i>Planci, Livineii Reguli</i>
" "	" <i>litteris</i>	" <i>literis</i>
" 24.	" <i>Jam</i>	" <i>Iam</i>
" 60.	" <i>aequae</i>	" <i>aeque</i>
" 67.	" <i>nonnulli, Planci</i>	" <i>nonnulli, Plancii</i>

leviora, quae insint, corrigat lect. ben.

T H E S E S.

I.

Historia tam generis humani quam singularum gentium cum ipso homine habet similitudinem.

II.

Vere PLATO *de Rep.* VIII, 2, dicit τὰς πολιτείας γίνεσθαι ἐκ τῶν ἡθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν, οἳ ἂν ὥσπερ ῥέψαντα τᾶλλα ἐφελκυσήται.

III.

Etymologia vocabulorum in lingua Graeca tam ad interpretationem veterum poëtarum quam ad antiquitatum cognitionem utilissima est.

IV.

Hesiodeum poësis genus Homericæ poësi recentius est putandum.

V.

Homericum hymnum *in Apollinem* non ante sec. VI ante Chr. compositum esse, iure colligi potest e versibus extremis, qui ad bellum Crissaeum spectant.

VI.

Nova *Φυλῶν* et *δήμων* descriptio a Clisthene facta plurimum roboris addidit populari potestati.

VII.

Amphictyonum conventus non dici potest *commune Graeciae consilium*, ut vocatur a CICERONE *de Inv.* II. 23.

VIII.

Prisca Romanorum historia magna pro parte e Graecorum rivulis fluxit.

IX.

Numam fuisse scriptorem legum, ut dicit CICERO *de Rep.* V, 2, non credibile est.

X.

Vere VALERIUS MAXIMUS I, 1, 9 de Romana civitate: „Omnia post religionem ponenda semper nostra civitas duxit; etiam in quibus summae maiestatis conspici decus voluit.”

XI.

Errat NIEBUHRIUS *Röm. Gesch.* I, 328, Fabios Sabinae originis fuisse contendens.

XII.

Cn. Pompeius primus adstrinxit eloquentiam eique velut frenos imposuit.

XIII.

Ponderatis diversis argumentis, Ciceronem Catilinam repetundarum reum defendisse improbabile duco.

XIV.

Vere DRUMANNUS *Gesch. Roms*, T. IV. p. 213 de T. Munatio Planco Bursa: „Eigennutz und Rachgier machten ihn zum Gegner der Aristocratie, obgleich er jedem gewärtig war, der ihm bezahlen konnte.“

XV.

Errant Franckius, Düntzerus, alii, quum *vitae Iuvenalis* ex ipso huius scriptoris opere conflatas esse contendunt.

XVI.

Vere W. S. TEUFFELIUS (in PAULY, *Real-Encycl.* s. v.) de Iuvenale: „Eine reiche Erfahrung spricht aus seinen

Gedichten, aber kein edele Geschmach, ein starhen, aber kein reinen Gemnth."

XVII.

Quem Iuvenalis Caesarem memorat in Satirae VII^{mae} principio, Traianus, non vero Domitianus mihi habendus videtur.

XVIII.

* Aram Ubiorum (Cf. TACIT. *Ann.* I, 39) non Augusto, ut censent interpretes, sed deae Victoriae consecratam fuisse contendo.

XIX.

A dictatore nulla provocatio ad populum fuit.

XX.

Comitorum curiatorum vis legibus Publilia et Maenia fere ad nihilum redacta est.

XXI.

In Platonis opere *περὶ πολιτείας* quaestio de iustitia quaestioni de civitate subiuncta est, non haec illi.

XXII.

Vere QUINTILIANUS *Instit. Orat.* X, 1, § 76, de De-

mosthene: „Is dicendi modus, ut nec quod desit in eo nec quod redundet invenias.”

XXIII.

In Platonis loco *de Rep.* VIII. p. 547 C. εἰς μέσον ὁμολόγησαν γῆν μὲν καὶ οἰκίας κατανευμαμένους ἰδιώσασθαι . . . αὐτοὶ πολέμου τε καὶ Φυλακῆς αὐτῶν ἐπιμελεῖσθαι, pro αὐτῶν legendum puto ἑαυτῶν.

XXIV.

In Sophoclis *Ant.* 366:

νόμους παρείρων χθονὸς
θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν ὑψίπολις

legendum coniicio νόμους γεραίρων κ. τ. ἔ.

XXV.

In Demosthenis oratione *de Corona* § 239, ἐκ τούτων ὤχετο ἐκείνους λαβῶν εἰς τὸ μὴδ' ὀτιοῦν προορᾶν, pro λαβῶν legendum βαλῶν.

XXVI.

Prima Persii Satira intra annos 59 et 62 post Chr. n. scripta videtur.

XXVII.

In eadem Satira tecte perstringitur Nero.

XXVIII.

In Iuvenalis *Satir.* VII, 158 :

*Mercedem appellas? Quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur —*

Sic interpungo :

*Mercedem appellas? Quid enim? Scio: culpa do-
centis cet.*